DE LOCIS PLUTARCHI AD ARTEM SPECTANTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ALBERTINA REGIMONTANA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXX MENSIS IUNII A. MDCCCLXXXIII, HORA XII

IN AUDITORIO MAXIMO

UNA CUM THESIBUS ADIECTIS

PUBLICE DEFENDET

MAXIMILIANUS LEHNERDT

REGIMONTANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

MAXIMILIANUS NIETZKI, DR. PHIL.

ARTHURUS KOPP, CAND. PHIL.

REGIMONTI.

EX OFFICINA HARTUNGIANA.

MDCCCLXXXIII.

PARENTIBUS OPTIMIS

S.

Quae de artium historia apud scriptores veteres inveniuntur, passim pleraque et dispersa multoque saepius ad aliam rem quam ad artium historiam illustrandam tradita sunt. Quod non solum de philosophis rerum scriptoribus poetis sophistis rhetoribus dicendum est, sed etiam qui de arte atque artificibus dicturos se esse profitebantur, plerique non id agebant, ut artium historiam conscriberent. Erat enim Vitruvius ex ipsis artificibus, Pausanias periegeta, qui ne viderat quidem et cognoverat quae enarravit, Plinii vero de artibus notata nihil nisi pars ingentis illius orbis doctrinae sunt tam variae paene quam natura est ipsa. Quare quid quisque in universum de artibus senserit quo consilio quibus ex fontibus res huc pertinentes tradiderit diligenter examinandum esse multi viri docti rectissime monuerunt. Nec desunt, qui huic rei operam navaverunt, imprimis de Plinii fontibus nova permulta graviaque invenerunt O. Jahn, Brunn, Brieger, Schreiber, Furtwängler, de Luciano docte et argute egit Bluemner, de Pausania vero etiam nunc viget controversia. Paucis tantum paginis nonnulla scriptorum graecorum[1]) de artibus iudicia recensuit L. Friedlaender progr. acad. Regim. 1866 Nr. IV., ubi Plutarchi quoque habuit rationem. Cuius scriptoris locos huc pertinentes collegit in capita digessit breviter interpretatus est J. F. Facius, ex Plutarchi operibus excerpta quae ad artes spectant Lips. 1805. Sed in hoc libro nihil invenies nisi locorum congeriem, nec illam quidem omnium, praesertim cum fragmenta

1) Praeter Plutarchum Dionysii Halicarnassensis Longini oratorum atticorum. cf. Darstellungen a. d. Sittengesch. Roms III[5] p. 262. sq. 278.

prorsus neglexerit. Praeterea iam tantum cum temporis tum doctrinae spatium intercessit, ut iterum eandem rem tractaturo non timenda sit vituperatio, quod nihil nisi iam antea investigata recantet.

Postquam igitur primo dissertationis capite quae Plutarchus de artium natura artificumque condicione senserit tractavi, iis quae sequuntur capitibus locos, qui ad singulos artifices — primum sculptores tum pictores — pertinent, collectos disponam et ubi necessarium videbitur paucis illustrabo. Cumque non ignorem illorum locorum longe plurimos iam antea imprimis a Brunnio ad artificum historiam conformandam adhibitos esse, imprimis ipsius Plutarchi, quod habuit de unoquoque artifice vel opere iudicium, constituendum et quotiens fieri poterit fontes unde rem traditam hauserit videntur investigandi, ut quantam habeat vim eius iudicium et auctoritas intellegi possit. Sequentur opera nonnulla sine artificis nomine commemorata, quatenus non iam prioribus capitibus inserta sunt et quae praeterea videbuntur addenda.

Ac duas quidem res in horum locorum tractatione habeo propositas: primum ut quanta sit fides auctoritasque Plutarchi in artium historia constituenda cognoscatur, deinde me consecuturum esse spero, ut lectoribus Plutarchi eorum locorum, qui ad artem pertinent, pro commentario exiguo sit mea dissertatio.

Cap. I.

Quae Plutarchus de artibus philosophatus sit.

Quae Plutarchus de artium natura earumque vi et effectu senserit, de his nonnulla optime disputata invenies in Ed. Mülleri libro qui inscribitur: Geschichte der Theorie der Kunst bei den Alten II. 208. sqq.

Cum constet, Plutarchum non tam novarum rerum investigatorem fuisse et inventorem, quam doctrinae ingenti fere lectione sibi comparatae traditorem, quam de artibus habebat sententiam ex suo ipsius ingenio eum hausisse vix quisquam putabit. Ut ubique, sic in hac quoque philosophiae parte fundamentum habuit doctrinam Platonis, principis philosophorum, divini, praeclarissimi

generis humani magistri[1]). Nec non versatus est in sequentium academicorum scriptis, quos Platonis nimis iniustam parumque honorificam quam habuit de artibus sententiam vel sua ipsorum vel Aristotelea doctrina temperasse admodum probabile est.

Cavendum etiam est, ne Plutarchum liberum nullaque praeiudicata opinione ductum artium aestimatorem fuisse putemus. Quod nec voluit nec potuit. Nam cum praecipue philosophus esset, quo sicut ceteri nullum praeclarius homineque dignius praedicabat studium, omnes res ad moralem philosophiae partem revocabat, quod saepe mirabili fere arte et sollertia effecit.[2]) Quae res quantam vim habuerit ad artes artificesque aestimandos, imprimis ex eo libro apparet, quem scripsit de audiendis poetis, ubi tantum modo poesi tribuit auctoritatis, ut iuvenum animos ad philosophiae praecepta rectius intellegenda instituat, Platonis viam secutus sed non usque ad eum quo ille pervenit finem, ut poesin e perfectissima illa quam finxit civitate prorsus eiiceret.[3]) Quod de omnibus artibus imitantibus quae vocantur dicendum fuisse Plutarcho per se apparet.

In imitatione autem artium fundamentum positum esse, id quod primum a Platone explicatum est, sicut ceteri fere omnes Plutarchus quoque contendit de aud. poet. p. 17. F. Sicut picturae poesis quoque ait officium esse imitationem, quae ut iam Simonides dixerat materia modo et genere imitationis inter se sint diversae.[4]) Nec spectari num argumentum bonum sit et pulchrum, sed num imitatio diligentiae et similitudinis laudem prae se ferat. Quae ubique cum Platonis doctrina concinunt, simillima vero disputaverat Aristoteles Poet. IV. *ἃ γὰρ αὐτὰ λυπηρῶς ὁρῶμεν, τούτων τὰς εἰκόνας τὰς μάλιστα ἠκριβωμένας*

---

1) Symp. VII. 1. p. 700 B. VIII. 1. p. 717 F. de cap. ex inim. util. p. 90. C.

2) cf. Volkmann, Leben, Schriften und Philos. d. Plut. I. 13. II. 323. sqq.

3) Rep. X. 1. p. 595. Nec tamen ubique sibi constat Plato. Concedit enim nonnullius esse momenti artes, ut animus ad pulchrum recte percipiendum deducatur leg. VII. 816. E. 817. cf. Ed. Müller I. 90. sqq.

4) de glor. Athen. p. 347. A. cf. Volkmann II. 327. 336. sqq. Ceteros locos ubi Simonideum illud invenitur contulit Wyttenb. ad de aud. poet. p. 17. F.

χαίρομεν θεωροῦντες, οἷον θηρίων τε μορφὰς τῶν ἀτιμοτάτων καὶ νεκρῶν. cf. Metaphys. I. 1. Rhet. I. 10. Quibus locis Aristoteles causam et originem artium e duabus rebus natura homini innatis derivat: e studio imitandi et e voluptate rebus imitatione expressis excitata. Quam voluptatem provenire ex imitatione cum exemplo comparata Aristoteles constituit locis modo citatis, novam vero huius voluptatis causam primus affert Plutarchus recentioris doctrinae quasi dux et praecursor, quod recte exposuit Müller II. 208 sqq. cf. Feuerbach, der vatican. Apollo p. 303 Anm. Cum enim Symp. V. 1. quaestio mota sit, cur cum voluptate audiamus eos, qui iratorum vel maerentium gestus repraesentant, vere iratos dolentesve moleste feramus, Plutarchus ipse hoc modo rem decidit: Hominem cum natura sit ratione praeditus artiumque studiosus et pulchritudinis, omne opus omnemque actionem mentis ac rationis participem amplecti et diligere, id quod iam in infantibus cerni possit confirmeturque nota illa narratiuncula quae circumferebatur de porco Parmenontis, qua perspicuum sit, ut ipsius verbis pergamus, *ὅτι τὸ αὐτὸ τῆς αἰσθήσεως πάθος οὐχ ὁμοίως διατίθησι τὴν ψυχήν, ὅταν μὴ προσῇ δόξα τοῦ λογικῶς καὶ φιλοτίμως περαίνεσθαι τὸ γενόμενον,* quae *δόξα* non exemplo, sed imitatione excitatur. Si recte contemplamur, hanc admirationem ingenii hominis consequi videmus ex imitationis cum exemplo comparatione ab Aristotele indicata. Quod cur non iam antea vel ab Aristotele ipso conclusum sit, ex tota artium ratione atque historia intellegitur. Recte enim exposuit Friedlaender[1]), aetate qua floruit ars vix quidquam a scriptoribus de artium operibus artificibusque dici vel iudicari, seriore vero labentis artis tempore graecorum scriptorum libros abundare locis cum artium tum ipsorum artificum vitarum studiorumque peritiam declarantibus. Itaque illa doctrina, quamquam a Plutarcho primo quantum ego quidem scio verbis pronunciata est, tamen in omnium qui illis saeculis erant animis latuit, donec excultam invenimus et perfectam apud Philostratum maximeque apud Plotinum.

Sicut igitur mente in artibus opus sit et prudentia,

---

1) Ueber den Kunstsinn der Römer p. 7. N. Jahrb. f. Philol. LXXIII. p. 396.

quod praecedente Platone exponit de fort. p. 99 A., ita in iudicandis quoque artium operibus mentem plurimum posse nec sufficere solos corporis sensus, qui omnia sine quadam discretione et iudicio recipiant, exponit. (Demetr. 1.) Quare Cyrenaeorum[1]) doctrinam laudat reiectis Epicureis, *μὴ περὶ τὴν ὄψιν εἶναι μηδὲ περὶ τὴν ἀκοήν, ἀλλὰ περὶ τὴν διάνοιαν ἡμῶν τὸ ἡδόμενον ἐπὶ τοῖς ἀκούσμασι καὶ θεάμασιν.* (Symp. V. 1 p. 674 A.) Atque in eo libro quo demonstrabat ne suaviter quidem vivi posse secundum Epicuri praecepta, Epicureis graviter exprobrat, quod omne pulchrum contemnant nihilque agnoscant, nisi quod corpori voluptatem afferat.

His in universum praemissis accuratius quae de artium pingendi fingendique natura ac ratione senserit contemplemur. Dicendum primum est de iis locis, quibus de duplici uniuscuiusque artium illarum operis causa (*αἰτία*) disserit, Platonem ut ipse dicit ducem secutus, Anaxagoram impugnantem[2]), quod in materia sola causas rerum posuerit. Contra ea Plutarchus de def. or. p. 436 A., de Pyth. or. p. 404 C.[3]) duabus causis illa opera existere demonstrat, altera, quae in materia sita sit, ut lapide, ligno, aere, ferro, igne, pigmentis, altera longe praestantiore, qua illa moveantur eiusque voluntatem et consilium exprimant, ratione hominis atque arte, quae vice versa ad formanda ea quae velit materia egeat. Quare ubique signis tabulisque nomen auctoris inscriptum esse, nec eius gloriae materiam operis ullo modo obtrectare. Sed recte exponit, suam quamque materiam habere proprietatem, quam imagini quoque addat, unde diversitates existant earundem imaginum e diversa materia effictarum. (de Pyth. orac. p. 404 C.[4]) Cum hac explicatione iuvat

---

1) cf, Diog. Laert. II. 8. 90 *λέγουσι δὲ* (Cyrenaei) *μηδὲ κατὰ ψιλὴν τὴν ὅρασιν ἢ τὴν ἀκοὴν γίνεσθαι ἡδονάς· τῶν γοῦν μιμουμένων θρήνους ἡδέως ἀκούομεν, τῶν δὲ κατ' ἀλήθειαν ἀηδῶς.* Pulchrum non definiri posse eo quod auditui vel visui iucundum sit, etiam Plato Hipp. mai p. 298—304 ostenderat, quocum cf. Aristot. Top. 6. 7.

2) Phaedo. p. 97. C. Legg. XII 967 B. C

3) Huius loci valde corrupti sensum recte ut mihi videtur versione expressit Wyttenb.

4) *Καὶ κηρὸν μὲν ἐῶ καὶ χρυσὸν ἄργυρόν τε καὶ χαλκόν, ὅσα τε ἄλλα πλαττομένης οὐσίας εἴδη δέχεται μὲν ἰδέαν μίαν ἐκτυπουμένης ὁμοιότητος, ἄλλο δὲ ἄλλην ἀφ' ἑαυτοῦ τῷ μιμήματι διαφορὰν προστίθησι.* — Vox *μίαν*, quam Facius p. 5 eiiciendam putat, certe servanda est.

comparare quae dicit Quintilianus II. 19. 3 „denique natura materia doctrinae est, haec fingit, illa fingitur. Nihil ars sine materia, materiae etiam sine arte pretium est, ars summa materia optima melior.“

Quae subinde inveniuntur, ad picturam pleraque pertinent, neglecta arte statuaria. Neque id mirum: videbatur enim pictura artium illarum minus illiberalis atque ut vocabatur *βάναυσος*, quam vel principes voluptatis causa exercerent discerentque pueri in scholis.

Praestare picturam coloratam dicit imagini lineis modo expressae plusque afficere animum propter similitudinem maioremque fallendi potestatem. (de aud. poet. p. 16 B. *ἐν γραφαῖς κινητικώτερόν ἐστι χρῶμα γραμμῆς διὰ τὸ ἀνδρείκελον καὶ ἀπατηλόν.*) Falso intellexit hunc locum Schasler Aesthetik I. 217, qui in tota hac re de Plutarcho nimis inique iudicat, dissentire eum ab Aristotele dicens, qui picturam, quod omnium artium minime imitetur, minime quoque ad mores (*ἦθος*) pertinere contendat. (Probl. XIX. 17. Pol. VIII. 5). Quod omnino non dicit Plutarchus, sed nihil nisi picturam linearem coloribus additis magis ad veritatem accedere, id quod certe nemo negaverit. Neque enim quidquam huc pertinet Aristotelis quem affert Schasler locus Poet. 6, ubi coloribus vel pulcherrimis sine ulla forma tabulae inductis anteponitur imago lineis modo depicta. Quod etiam magis elucebit collato loco Platonis Polit. p. 277 C. *ὁ λόγος ἡμῖν ὥσπερ ζῷον τὴν ἔξωθεν μὲν περιγραφὴν ἔοικεν ἱκανῶς ἔχειν, τὴν δὲ οἷον τοῖς φαρμάκοις καὶ τῇ συγκράσει τῶν χρωμάτων ἐνάργειαν οὐκ ἀπειληφέναι πω,* simili comparatione ac Plutarchus usi.

Praecepta quoque dedit non inutilia et pictoribus ipsis et spectatoribus, ut recte aestimarent artificium. Ac pictoribus quidem cavendum esse, ne, si pulchrum aliquid et iucundum sint picturi, eo in imitatione procedant, ut, si quid turpe rei depingendae adhaereat, quam diligentissime illud exprimant. Neque tamen omnino omittendum esse: tum enim, sicut antea pulchritudo defuerit, similitudinem desiderari (Cim. 2.)

Nec omnino summum artificis officium esse corpus faciemque pictura imitari, sed multo pluris aestimari tabulam qua m o r e s intellegi possint. (*εἰκόνα τὸ ἦθος καὶ τὸν τρόπον ἐμφανίζουσαν* ibid.) Recte quidem utitur

voce ἐμφανίζειν, neque enim ipsum ἦθος pictores sculptoresve imitari sicut musicos, sed actiones modo motusque animi ut coniectarentur externis signis exprimere posse Aristoteles docuerat.[1]) Quod pictorem decere iam Socrates Parrhasium monet apud Xen. Mem. III. 10, eamque ob causam Aristoteles Polygnotum laudat et quicunque praeterea pictorum vel sculptorum sit ἠθικός. (Poet. VI. Pol. VIII. 5.) Maxime autem apparere τὸ ἦθος in facie oculisque hominis, quorum imprimis prae ceteris corporis partibus ad exprimendam similitudinem ratio sit habenda pictoribus. (Alex. 1.)

Pravos igitur esse pictores, qui, cum pulchrum assequi nequeant propter imbecillitatem, rugis verrucis cicatricibus accurate exprimendis similitudines reddant (de adul. et amico p. 53. D.), nec probandam esse picturam nimis operosam, quae coloribus asperis pinguibusque, plicis fractis, rugis atque angulis summae diligentiae evidentiaeque speciem inducere conetur (ibid. p. 64. A.). Non igitur Plutarchus, sicut Plinius minor in nota illa Corinthii signi descriptione (ep. III. 6.) accurata naturae imitatione summam artis constare putavit, immo ad Dionysii Halicarnassensis sententiam prope accedit de comp. verb. XXV. p. 209. R. ζωγράφων τε καὶ τορευτῶν παισὶν ἐν ὕλῃ φθαρτῇ χειρῶν εὐστοχίας καὶ πόνους ὑποδεικνυμένοις, περὶ τὰ φλέβια καὶ τὰ πτίλα καὶ τὸν χνοῦν καὶ τὰς τοιαύτας μικρολογίας κατατρίβειν τῆς τέχνης τὴν ἀκρίβειαν.

Quod monendum videtur contra Bluemnerum (Archäol. Studien zu Lucian p. 95), qui cum unius tantum loci de aud. poet. p. 17. F.[2]) habuerit rationem, Plutarchum totum in Plinii partes ivisse contendit.

Sed etiam in ipsis rebus quas depingant artifices certum modum observandum esse. Quamquam enim magnitudo quaedam et sublimitas pictori quaerenda est, quod non solum Aristoteles sed etiam ipse Nicias pictor

---

1) cf. Müller Gesch. d. Theorie d. Kunst II. 9. sqq. — De voce ἦθος, quatenus ad artem spectat, vid. Jahnium in „Berichte d. sächs. Ges. d. W. 1850. p. 108. sqq.“

2) Nescio cur dicat: Plutarchus vel quicunque huius scripti auctor est. Brunn quoque in artificum historia librum citat quasi Pseudoplutarcheum. Adhuc nemo causas attulit, quibus librum non esse genuinum demonstraverit.

postulavit[1]), tamen cavendum est, ne imago ultra modum rei quam effingat egrediatur. Quare recte Plutarchus Lysippo assentitur vituperanti Apellem, quod is Alexandri effigiem pinxerit fulmen tenentis, cum ipse regi hastam in manum dederit. Huius enim gloriam, quae vera et propria sit Alexandro, nunquam evanescere, fulmen autem non diutius in manu mansurum, quam adulatores eum ut Iovis filium celebrent (de Is. et Osir. p. 360. D.) Quae narratiuncula an ex vere facto defluxerit, certe dubium est, fortasse a philosopho quodam vel rhetore, si non a Plutarcho ipso, ex Apellis Alexandro fulminigero hastatoque Lysippi derivata est ad morale quoddam praeceptum illustrandum, id quod facit noster, cum historia illa deorum honores hominibus non esse tribuenda comprobet.[2]) — Quare sicut ceteris in rebus in artibus quoque omne nimium et immoderatum vitandum esse ait nec imitandos malos statuarios, qui magnos ac validos visum iri colossos putent, si eos admodum divaricatis cruribus distentosque et hiantes fingant (ad princip. inerud. p. 779. F.)

Arti si quis ad eam se applicaverit totum se dare omnemque operam multumque temporis in uno opere conficiendo absumi oportere docet, id quod summi artificis dicto confirmat Zeuxidis Per. 13. de amic. multit. p. 94. F.[3]) Neque enim facilitatem et celeritatem in conficiendo opere perpetuum praebere honorem atque pulchritudinem, immo tempus et diligentiam in ponendo opere absumptam plurimum ad gloriam aeternitatemque conferre. Quare in aevi Periclei operibus, quorum gloria in omnia saecula permansura sit, hoc maxime mirabile esse, quod tam brevi temporis spatio sint perfecta.

Recte autem intellexit Plutarchus, non solum ad perficiendum verum etiam ad recte aestimandum artificium artifici tempore opus esse. Quare laudat pictores, qui tabulam priusquam absolvant, per intervalla temporis contemplentur itaque cum visum paulisper ab ea abducant, inspiciendae tabulae iudicium recens reddant, ita ut exigua quoque discrimina reperiant corrigantque, quae continua

---

1) Demetr Phaler. de elocut. 76.
2) cf. ad princip. inerud. p. 780. F.
3) Simile Apellis dictum traditur libri falso Plutarcho ascripto de lib. educ. cap. IX. p. 7. A.

inspectione et cotidiana consuetudine occultentur. (de cohib. ira. p. 452. E.). Nam si artifex iudicium integrum studioque atque ira vacuum sibi parare vult, praesertim cum sui quisque peior sit quam aliorum iudex, a se ipso ei quasi digrediendum sentiendique continuitas interrumpenda est, quod nisi temporis spatio interiecto effici non potest.

Operam quidem et laborem adhibendum esse summum, neque tamen ita, ut ex ipsis operibus ubique eluceat. Quod bene illustrat hoc exemplo: Antimachi poemata et Dionysii picturae Colophoniorum, quamquam robur in iis inest vigorque, tamen vi quadam et nimia opera elaboratis similia sunt, contra Nicomachi tabulis et Homeri versibus praeter reliquam vim et gratiam illud inest, ut expedite et facile elaborata videantur. (Timol. 36.) Quas certe illis praefert Plutarchus. Quamquam Nicomachum quidem vix propter nimiam diligentiam laudare possumus, si quidem credimus Plinio 35. 109. neminem eo in arte velociorem fuisse narranti.

Iam videamus quae dederit praecepta ad artis opera recte aestimanda. Huc imprimis spectat locus de genio Socr. p. 575 A.,[1]), ubi laudat pictoris cuiusdam dictum rudes et artis ignaros spectatores cum intellegentibus et artificii studiosis comparantis. Illos enim aiebat similes esse eorum, qui magnam simul turbam salutent, hos eorum, qui obvios singulatim appellent. Illos enim non accurate sed leviter parumque diligenter (τύπῳ τινὶ) artium opera contemplari, hos vero, singulas operis partes perlustrantes neque quidquam inspectatum relinquentes, nihil eorum effugere quae vel probanda vel vituperanda sint.

Quare ad aestimanda quoque artificia exercitatione opus est. Propterea iam Aristoteles artem musicen et graphicen adolescentibus exercendam esse monuit. (Müller Th. d. K. II. 80. 83.) Neque enim iudicium quo pulchrum ab eo quod non pulchrum sit discernatur, omni exercitatione neglecta comparari posse. Et consentit Plutarchus de sera num. vind. p. 549. F., eum qui res deorum et geniorum perspicere velit similem esse dicens ac si quis artis prorsus

---

1) Lacunam quae est initio huius loci in versione recte explevisse videtur voce „recordor" Xylander. Minus probabilia attulerunt Reiske et Wyttenb.

ignarus in opere contemplando artificis sententiam opinionibus et probabilibus coniecturis velit investigare. Neque enim, sicut dicit in fragmento quod servavit Stobaeus serm. LXI. p. 393. (XXV. Wytt.), visum vel auditum apud omnes homines aequale habere iudicium, sed modo natura esse perfectiorem, modo arte magis exercitatum ad discernendam pulchritudinem, sicut in harmoniis cantuque musicorum, in formis et figuris pictorum sensus. Quare Nicomachum pictorem cum quis Zeuxidis Helenam sibi non pulchram videri dixisset, respondisse: Sume, inquit, meos oculos, et dea tibi videbitur. Atque artificum quidem oculos in contemplandis operibus multis in rebus praestare ceteris[1]), nemo negabit; ineptum tamen est putare neminem nisi artificem de artis quodam opere iudicare posse, id quod facit Plinius minor ep. I. 10. 4. Exercitationem modicam cum Aristotele postulavit Plutarchus, recte intellegens, stultum esse, si quis de Apellis vel Zeuxidis tabulis neminem iudicare posse dicat nisi qui eodem ingenio et arte sit praeditus. (Dionys. Hal. de Thuc. iudic. c. IV. p. 817. R., qui item de hac re recte iudicat; cf. Bluemner, archäol. Studien zu Lucian p. 97.)

Ceterum ne succenseamus Plinio propter dictum supra allatum: erat enim ut Romanus arte atque intelligentia omnino fere indigens, qui quodlibet monstrum, quorum vel forum et mercatus Romae erat, omnemque rem historia atque vetustate venerabilem eadem cum voluptate videret quam praeclarissimum artis opus. Quam inscitiam graviter impugnat Plutarchus de curios. p. 520. C. *ὥσπερ οὖν ἐν Ῥώμῃ τινὲς τὰς γραφὰς καὶ τοὺς ἀνδριάντας καὶ νὴ Δία τὰ κάλλη τῶν ὠνίων παίδων καὶ γυναικῶν ἐν μηδενὶ λόγῳ τιθέμενοι, περὶ τὴν τῶν τεράτων ἀγορὰν ἀναστρέφονται, τοὺς ἀκνήμους καὶ τοὺς γαλεάγκωνας καὶ τοὺς τριοφθάλμους καὶ τοὺς στρουθοκεφάλους καταμανθάνοντες κτλ.*

Transeamus ad ea, quae de artificum condicione atque aestimatione iudicaverit, explananda. In qua eum a vulgata totius antiquitatis opinione, qua artifex ab opifice

---

1) cf. Diog. Laert. VII. 51. *ἄλλως γοῦν θεωρεῖται ὑπὸ τεχνίτου εἰκὼν καὶ ἄλλως ὑπὸ ἀτέχνου.* Cic. acad. II. 7. 20. quam multa vident pictores in umbris et in eminentia, quae nos non videmus. Arrian. *διατριβαὶ Ἐπικτήτου II. 24. τὸ δ' ἰδεῖν ἐμπείρως (ἀνδριάντα), οὐδεμιᾶς σοι προσδεῖσθαι φαίνεται τέχνης; Προσδεῖται καὶ τοῦτο.*

paulum discernebatur semperque vel praeclarissimis adhaerebat illud *βάναυσον*, discessisse vix quisquam expectabit. Duae imprimis res erant, quibus Plutarchus ad minoris aestimandos artifices commovebatur: primum philosophia, ad quam cetera omnia revocabat, tum nimia litterarum et rhetorices quae illa aetate vigebat aestimatio. De quibus deinceps agamus.

Ex tota illa doctrina, quae artium fundamentum in imitatione posuit, necessario sequebatur, imitationem semper aliqua in re superari exemplo nec unquam prorsus veritatem attingere posse, quod praecipue de factis atque actionibus erat dicendum. Quare Plutarchus non solum pictores, sed etiam rerum scriptores, quos Platonem secutus illis maxime respondere contendit, summosque poetas tragicos ducibus et iis qui ad rem publicam gerendam se contulerunt longe postposuit, de glor. Athen. p. 346. F. *ἀλλ' οὐκ ἂν οἶμαι τὴν ζωγράφου κρίσιν προθείητε πρὸς τὸν στρατηγόν, οὐδὲ ἀνάσχοισθε τῶν προτιμώντων τὸν πίνακα τοῦ τροπαίου καὶ τὸ μίμημα τῆς ἀληθείας·* ibid. p. 347. B. 348. C. cf. Volkmann II. p. 336. Rem publicam enim administrandam veteres viro dignissimum putavisse notum est: cuius muneris praeclarissima magistra est philosophia, quae ad bene honesteque vivendum animos instituit. Quare queritur de stultitia hominum, qui artificibus aere lapide cera deos fingentibus credant eorumque signa adorent, philosophos vero virosque rei publicae peritos despiciant unice deorum maiestatem et virtutes recte docentes. (de superstit. p. 167. E.) Quin etiam deorum imagines melius spectari in animantibus, sicut Aegyptii faciant, quam in aereis et lapideis operibus, quae itidem interitui et mutationi obnoxia sensu praeterea omni et intellectu natura privata sint. Quanto praestantius Apollonius apud Philostr. vit. Ap. VI. 19 ubi cum Thespesio Aegyptio colloquitur de Graecis et Aegyptiis, utri melius deos finxerint. Atque Aegyptiorum quidem morem deos bestiarum forma adorandi ait barbarum magisque irrisionem quam venerationem esse, Graecorum vero summos artifices ipsos deos mente quasi spectasse speciemque divinae pulchritudinis ita effinxisse dicit, ut sensibus percipi posset. Cf. quoque Dionem Chrysost. XII. 59. *ἐπ' αὐτὸ καταφεύγομεν, ἀνθρώπινον σῶμα ὡς ἀγγεῖον φρονήσεως καὶ λόγου θεῷ προσάπτοντες ...... κρεῖττον*

ἤ φασι τῶν βαρβάρων τινὰς ζῴοις τὸ θεῖον ἀφομοιοῦν κατὰ σμικρὰς καὶ ἀτόπους ἀφορμάς.

Sed redeamus ad Plutarchum. Omnibus quae supra diximus respondet notissimus ille locus Pericl. 2., ubi nullum generosum adolescentem, quamvis opera clarissimorum artificum admiretur, ipsum talem fieri velle dicit. Neque enim necesse esse, si opus perfectum sit et pulchrum, eum quoque qui fecerit admiratione atque imitatione esse dignum, contra cum praestantibus virtutis operibus admirationem auctoris semper esse coniunctam. Huius loci certe alia ratio est atque exempli gratia Luciani somn. c. 9. et Senecae ep. 88. 18. et ap. Lactant. Inst. II. 2.14, qui artificem cum opifice prorsus confundunt. (οἷος γὰρ ἂν ᾖς, βάναυσος καὶ χειρῶναξ καὶ ἀποχειρόβιωτος νομισθήσῃ Luc., cf. Bluemner p. 88.) Plutarchus vero sola philosophia ducitur, hic ut semper fere ad mores conformandos respiciens. Quare recte observavit Friedlaender (Sittengesch. III.[5] p. 265.) contra Hermannum (Studien der griech. Künstler p. 6, 8.), tantum abesse, ut ex hoc loco ullo modo effici possit, contempsisse Plutarchum Phidiam et Polycletum quasi opifices illiberales ac βαναύσους, ut summos poetas iuxta eos aestimaverit. Cumque poesin quasi ducem ad philosophiam in deliciis habuerit, — scripta quidem abundant ubique citatis poetarum fragmentis — iam ex hoc loco satis apparet, picturae artisque statuariae opera eum non minus esse complexum.

Discernit igitur inter opera et eos qui faciunt. Haec non minus admiratur quam musices poetices aliarumque artium opera, ipsos vero sculptores et pictores ceteris artificibus iisque qui litteris operam dabant, — neque enim litterae artesque accurate erant separatae — paulo inferiore loco posuit. Praec. ger. reip. p. 802. A. artem oratoriam celebrat contemptimque loquitur de Alcamene Nesiote Ictino καὶ πᾶσι τοῖς βαναύσοις καὶ χειρώναξι, qui eloquentiae sint imperiti neque ad rem publicam accedere possint, manu semper vulgarique materia laborantes. (τὴν γὰρ Ἐργάνην οὗτοι μόνον θεραπεύουσι, cf. de fort. p. 99. A.) Quare non est cur miremur, quod Ictinum quoque architectum in illo numero inveniamus, quamquam architectos superiorem locum tenuisse constat. (Plato Pol. p. 259.) Litterarum enim studia, quae sola mente exerceantur, praeferenda censet: Quid? Si Nicias pictor inter

pingendum adeo arte sua afficiebatur, ut cibi et potionis oblivisceretur, quantas voluptates illustres mathematicos e geometria, grammaticos e philologia hausisse putas? quantas vero ex bene factis philosophos? (non posse suaviter p. 1093. E. an seni sit ger. resp. p. 786. B. C.) Histriones quoque pluris aestimasse videtur, nam in enarratione artificum qui Alexandri Magni aetate exstiterunt, post tragoedos comoedos citharoedos ultimo tandem loco Apellem et Lysippum commemorat. (de Al. M. s. fort. s. virt. II. p. 334. F.)

Sed praeter manuum operam alia quoque causa erat, cur pictoribus sculptoribusque *βάναυσον* illud adhaereret, quod pretii causa exercebant artem. Hoc ut vera ars devitaret iam Aristoteles[1]) postulaverat: pretio enim animi vim obtundi ad virtutis officia recte exequenda. Quare laudatur a Plutarcho Polygnotus pictor: *ὁ δὲ Πολύγνωτος οὐκ ἦν τῶν βαναύσων οὐδ' ἀπ' ἐργολαβίας ἔγραψε τὴν στοάν* (poecilen), *ἀλλὰ προῖκα, φιλοτιμούμενος πρὸς τὴν πόλιν* (Cim. 4). Contra is, qui ceteram porticus partem pinxit Micon pecuniam sumpserat. (Plin. 35. 59.)

Haec fere sunt, quae de artificum condicione iudicavit Plutarchus. Quibuscum cohaerent ea, quae de necessitate inter principes et artes artificesque intercedente disputavit. Quae ubique redolent philosophum: nihil principi opus est honoribus pictis fictisve, in quibus etiam id, quod praeclarum habetur, alienum est[2]), neque enim cui sed a quo factum sit opus is laudatur. (praec. ger. reip. p. 820. B.) Praeterea cum perfectus princeps imago sit Dei omnia disponentis et digerentis, non eget Phidia qui fingat nec Polycleto nec Myrone, sed per virtutem se ipse Deo quam simillimum facit, iucundissimum spectatu opus et paene divinum. (ad princ. inerud. p. 780. E.) Ipsum autem artes exercere indignum est, cum majora et grandiora ei sint facienda. (Pericl. 1. Demetr. 20.) Nec tamen in contrarium incidat vitium, ut prorsus contemnat artes quamque longissime a se removeat quasi barbarus omnisque cultus atque humanitatis expers. Itaque recte Alexander, quem omnino ad perfectum illud principis

---

1) cf. Teichmüller, Aristoteles' Philosophie der Kunst p. 53. 93.

2) Idem dixit Hipponicus de donario suo a Polycleto facto ap. Aelian. var. hist. XIV. 16.

exemplum proxime accessisse Plutarchus praedicabat, artibus honorem sine aemulatione tribuebat nec delectatione ad imitandum se duci sinebat. Quare cum et optime iudicare egregia opera liberalissimumque praemium posset tribuere, praestantissimi qui tunc fuerunt artifices non tam aetate Alexandri quam propter Alexandrum exstitisse videntur. Nam incrementa artium magnorumque ingeniorum benignitas honor humanitasque regis efficit, invidia vero principum et sordes aut studium contendendi omnia illa exstinguit atque perdit. (de Al. M. fort. s. virt. II. p. 333. E. sqq.) — Atque haec omnia ita disputat, ut quae principi suadeat etiam sibi ipsi et omnino philosopho sequenda esse monere videatur.

Cap. II.

De statuariis.

Daedalus mythicus ille artis conditor commemoratur nonnunquam in vita Thesei, ubi tamen de arte eius et operibus nihil invenitur. Abhorret a vulgari traditione Clidemi atthidographi narratio, qui, ut Plutarchus dicit, *ἰδίως πως καὶ περιττῶς* de his rebus disseruit, Daedalum Thesei consobrinum matre Merope Erechthei filia natum fuisse. (Thes. 19.)

Nihil ad Daedalum pertinet dies ille festus Plataeis celebratus, qui vocabatur *Δαίδαλα*. Accurata est eorum descriptio apud Pausaniam IX. 3., peculiarem vero de iis libellum composuerat Plutarchus, cuius duo fragmenta servavit Eusebius praep. ev. III. 1 et III. 8 Alterum hoc fragmentum quamquam non aperte ex eodem Plutarchi scripto sumptum esse Eusebius dicit, tamen propter similitudinem totius rationis ac materiae vix potest dubitari, nec quisquam dubitavit editorum. Plutarchum hoc scripto non de signis quibusdam, id quod putare videtur Foerster[1]), sed de festi illius causa ac ratione egisse, et ex ipsis fragmentis et e Pausaniae descriptione collata apparet, praeterea quin eiusmodi rebus tractandis libentissime vacarit nemo dubitabit, qui scripta, imprimis quaestiones Graecas et Romanas perlegerit. Hoc autem sollemne

---

1) Ueber die ältesten Herabilder und die Glaubwürdigkeit des Athenagoras. Progr. d. Magdalenengymn. z. Breslau 1868.

praecipue eum debebat allicere, quippe quod esset Boeoticum, cui teste Pausania Chaeronenses quoque interessent. Ac nobis quidem propterea ad hoc scriptum est respiciendum, quod in altero fragmento commemoratur alius fabulosi temporis artifex

Piras vel Pirasus. Postquam de diversis xoanis veteribus dixit Plutarchus, invenimus haec: *Λέγεται δὲ Πείρας ὁ πρῶτος Ἀργολίδος Ἥρας ἱερὸν εἱσάμενος τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα ἱέρειαν καταστήσας ἐκ τῶν περὶ Τίρυνθα ὄγχνην τεμὼν εὔκτέατον* (l. *εὐκτέανον* Gaisf.) *Ἥρας ἄγαλμα μορφῶσαι.* Non est necessarium, cum Thierschio (Epochen der bildenden Kunst p. 20.) *Πείρας ὁ* commutare in *Πείρασος*, quae est vulgaris nominis forma, immo propter sequens participium *καταστήσας* praeferendus est articulus *ὁ*. Nam *Πείρας* quoque usu venit apud Apollodorum II. 1. 2. et Jul. Afric. ap. Georg. Syncell. (Chronogr. I. p. 283. D.) Dissentit a Plutarcho Clemens Alexandrinus Protr. IV. 41. secundum Demetrii cuiusdam prorsus ignoti Argolica Argum signi illius fabricatorem narrans. Sed etiamsi Thierschii coniecturam *Πείρασον τοῦ Ἄργου* pro *Ἄργον* scribentis reiicimus quasi nimis audacem, certe maior tribuenda est fides Plutarcho homini in illis rebus versatissimo quam Clementi christiano quemlibet nescio an fictum auctorem citanti. Ad cetera huc pertinentia cognoscenda doctam conferas Foersteri commentationem. (p. 7. sqq.)

Atque ut fragmento illi iam plane satisfaciamus, etiam de ceteris xoanis ibi commemoratis pauca dicamus, praesertim cum nonnulla artificum nomina aliunde comperta habeamus. Priscam esse et vetustam fingendi lignea simulacra consuetudinem exemplis confirmat, primum illo quod in Delo insula vetustissimum consecravit Erysichthon Cecropis filius sacrae legationis dux. (cf. Pausan. I. 31. 2. I. 18. 5. Phanodem. ap. Athen. IX. p. 392. D.) De quo signo aliunde nihil constat, diversum enim erat ab illo, cuius rationem atque formam secundum Anticlem (vel Anticlidem) et Istrum (*ἐν ταῖς ἐπιφανείαις*) describit Plutarchus de mus. p. 1136. A., quocum consentit Pausanias IX. 35. 3., artifices nominans Tectaeum et Angelionem Dipoeni Scyllidisque discipulos. (Paus. II. 32. 5.) Praeterea quin marmoreum fuerit opus vix potest dubitari. At miretur quis, si artificum illorum, qui ultra Ol. LV. non recedunt, aetatem comparat cum iis, quae a

Plutarcho vel Anticle et Istro traduntur: *οὕτω δὲ παλαιόν ἐστι τὸ ἀφίδρυμα τοῦτο, ὥστε τοὺς ἐργασαμένους αὐτὸ τῶν καθ' Ἡρακλέα Μερόπων φασὶν εἶναι.* Brunn hist. artif. I. 51. rem in medio relinquit, Muelleri vero sententia (Dorier p. 353.) Tectaeum et Angelionem vetustum illud signum ligneum quod Plutarchus commemorat imitatos esse fontibus accurate inspectis vix videtur verisimilis. Sed eiusmodi vetusta opera, quo maior fiat veneratio atque auctoritas, in remotissima tempora usque ad heroas relata esse cum per se probabile est tum aliis confirmatur exemplis. Patarani in templo Apollinis aeneum ostenderunt craterem, quem Vulcani opus dicebant, ignorantes, ut recte observat Pausanias, primos qui aes fuderint Theodorum et Rhoecum Samios fuisse. (Paus. IX. 41. 1.) Huc etiam pertinet Iunonis Samiae simulacrum, quod in fragmento nostro commemoratur duobus Callimachi distichis citatis ad id spectantibus. In quibus miserrime corruptis emendandis multi laborarunt: omnia complexus est Foerster l. c. p. 20. Atque in eo quidem consentiunt omnes, ut pro verbo *σκέλμιον* nomen artificis primi illius simulacri ponendum sit *Σμίλιος* vel *Σμιλικόν*, qui sive ut vult Brunn I. 28. circa olympiadem LX. sive secundum Foersteri sententiam circa XX. vel XXX. vixit, certe non potest coniungi cum iis, quae Paus. VII. 4. 4. de vetustissimo Sami signo tradit, fuisse qui dixissent, Argonautas illud Argis comportatum dedicasse.

Restat vetus Minervae signum: *ξύλινον δὲ τὸ τῆς Πολιάδος ὑπὸ τῶν αὐτοχθόνων ἱδρυθέν, ὃ μέχρι νῦν Ἀθηναῖοι διαφυλάττουσιν.*[1]) De fabulosa huius signi origine alii quoque referunt: Paus. I. 26. 6. de caelo delapsum tradit, Apollodorus III. 14. 6. ab Erichthonio, Eusebius praep. ev. X. 9. a Cecrope positum narrant. Neque tamen defuere, qui artifici aliunde cognito illud tribuerent, Endoeo Daedali ut putabatur discipulo (cf Brunn I. 100), quod apparet loco Athenagorae leg. p. Christ. 14. *τὸ μὲν γὰρ ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀρτέμιδος καὶ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς . . . . . καὶ τὴν καθημένην Ἔνδοιος εἰργάσατο, μαθητὴς Δαιδάλου.* Sedentem hanc Endoei statuam e marmore factam memorat Pausan. I. 26. 4.

---

1) cf. O. Jahn, de antiquissimis Minervae simulacris, Bonn 1866 p. 8. sqq.

Vetus illud signum ex ligno oleagino exsculptum erat. (Athenag. l. c. Schol. Demosth. c. Androt. 13.) Dea stans erat ficta armisque instructa, aegide et scuto cum gorgoneo, quod, cum Athenienses Persis appropinquantibus ex urbe fugientes etiam Minervae signum auferrent, periisse narrat Plutarchus Them. 10. secundum Clidemum. Quae signi forma cum e scriptorum locis apparet, tum artis operibus nobis servatis, de quibus agit Jahn l. c. p. 12. sqq.

Omnia illa signa ex ligno erant facta, exponitque causas Plutarchus, cur hac potissimum materia usi sint illis temporibus neglecto lapide auro argento. Lapidem quidem ut rem duriorem arteque difficulter subigendam et anima carentem in deorum imagines formare nolebant, aurum autem atque argentum sterilis et corrupti soli morbosas quasi sordes maculasque ignis calore expressas putabant: solo ebore interdum utebantur. — Effugit eum causa gravissima, non reputantem arborem, cuius ex ligno simulacrum factum erat, illi ipsi deo sacratam fuisse.

E ceteris priscae et rudis artis operibus affert basim crateris argentei ab Alyatte Delphis dedicati (de def. or. p. 436. A.), quam Herodotus I. 25 *ὑποκρητηρίδιον* vocavit. Eam basim Plutarchus quasi ante oculos habet, cum dialogum illum Delphis habitum fingit. Quamquam artificis nomen non addit, tamen quin noverit non dubito, cum ipsum illud, quo is in arte gloriam nactus est, disertis verbis commemoret: *πῦρ καὶ σίδηρον καὶ μάλαξιν διὰ πυρὸς καὶ ὕδατος βαφήν.* Erat enim Glaucus Chius[1]) huius operis auctor, qui ferri ferruminationem invenit, ut tradit Herodotus l. c. Basim illam describunt Pausan. X. 16. 1. et Athen. V. p. 210. B. C.

Huc etiam spectat Iupiter aureus malleo caelatus, quem Cypselus Olympiae dedicavit, quo circa olympiadem XXXVIII. mortuo Corinthii urbis nomen publice operi inscribere voluerunt. (de Pyth. orac. p. 400. E.) Deest locus apud Overbeckium. (Schriftquellen zur griechischen Kunstgeschichte.)

Eorum qui ante Phidiam floruerunt artificum a Plutarcho nominatur solus Nesiotes, una cum Alcamene et Ictino praec. reip. ger. p. 802 A., de quo loco iam supra diximus. Qui imprimis eo inclaruit, quod, cum

1) cf. Michaelis Archaeol. Ztg. (1876) p. 156.

tyrannicidarum statuas ab Antenore fusas Persae secum duxissent, una cum Critio novas fecit, quas cum ex Luciani (rhet. praec. 9) descriptione tum ex operibus conservatis satis plane restituere possumus. Nec Plutarcho erant ignotae: affert enim illud Antiphontis tragici responsum, qui cum a Dionysio tyranno quaestio moveretur, quodnam aes esset optimum dixerit: illud ex quo Athenienses Harmodii et Aristogitonis statuas fecissent (de adul. et amico p. 68. A. c. Wytt. animadv.), ubi et priores et posteriores in animo habuisse potest.

Simul cum prioribus signis posita est leaena aerea lingua carens in memoriam amicae illius Harmodii et Aristogitonis quae celebratur a Plutarcho de garrul. p. 505. E., qui locus poeticum aliquid, fortasse epigramma *ἐπιδεικτικόν* redolere videtur. Cuius leaenae artifex a Plinio 34. 72 traditur Amphicrates. Narratio illa permultis veterum scriptorum locis invenitur collectis a Iahnio (Pausaniae arcis descriptio ed. 2 Michaelis p. 5). Neque tamen iniuria veritatem totius historiae in dubium vocavisse videtur R. Iacobi (N. Jahrb. f. Philol. 107 [1873] p. 366), cum speciem mythi aetiologici qui vocetur nimis eam prae se ferre ostendit, quem, ut saepe fiat, e vetere leaenae statua, cui casu quodam lingua deesset, exortum esse probabile videatur.

M y r o n i s aetate Phidiam paulo antecedentis nomen quamquam semel tantum legitur apud Plutarchum (ad princ. inerud. p. 780. E.), tamen ab eo sicut a ceteris in praeclarissimorum numero habitum esse demonstratur iis quae eum sequuntur nominibus: Phidiae et Polycleti.

De ipsius P h i d i a e vita Plutarchus longe uberrimus fons est in vitae Periclis capitibus XII. XIII. XXXI. Loquitur de Phidia ut curatore et magistro operum quae Pericles in arce exstruxit, ut artifice Minervae chryselephantinae, fusius denique de lite ei intenta, qua ipsum Periclem petebant inimici, et de morte quae sequebatur. Utrique rei summam difficultatem attulit diversa Philochori narratio apud Schol. Arist. pac. 605, ubi propter furtum in Iove Olympio perficiendo ab Eleis supplicium sumptum esse traditur. De hac quaestione post multos alios nuper egit Loeschcke in „Historische Untersuchungen zu Arnold Schaefers Jubiläum“, Bonn 1882, p. 25. sqq. Priores cum Philochori fidem praeferentes in Elide Phidiam mortuum esse putarent,

E. Curtius (Arch. Ztg. 25 [1877] p. 134) primus illum fragmenti locum interpolatum suspicatus est, cum chronologicum Atthidis Philochoreae ordinem prorsus interrumpat, nec improbabilem, unde haec fabula orta sit, coniecturam protulit Loeschcke. Cum Plutarcho sentit Ephorus apud Diod. Sic. XII. 39. et is, quem Plutarchi fontem censet Loeschcke, Craterus in *συναγωγῇ ψηφισμάτων*. Inde efficitur novum illud et gravissimum, Iovem Olympium multo ante Minervam chryselephantinam perfectum esse.

Optime ostendit studium veritatis, quod coluit Plutarchus, quod mendacibus sordidisque narratiunculis, quae a comicis de Pericle et Phidia circumferebantur ex invidia et inimicitia exortis acriter obluctabatur. (c. 13. s. fin.) Atque ita quidem praeclarissimi artificis cum summo rei publicae rectore amicitiam rumoribus contaminaverunt, ut Phidiam nobiles mulieres, quae in officinam visendi causa venissent, quasi lenonem Pericli adduxisse, immo totum bellum propter Aspasiam vel propter Phidiam ab eo incensum esse dicerent. (Per. 30 cum versibus 524—27 ex Acharnensibus citatis, de Herod. malign. p. 856. A., ubi alludit ad Pac. v. 605. sqq.) De quibus recte Plutarchus c. 13: *οὕτως ἔοικε πάντη χαλεπὸν εἶναι καὶ δυσθήρατον ἱστορίᾳ τἀληθές, ὅταν οἱ μὲν ὕστερον γεγονότες τὸν χρόνον ἔχωσιν ἐπιπροσθοῦντα τῇ γνώσει τῶν πραγμάτων, ἡ δὲ τῶν πράξεων καὶ τῶν βίων ἡλικιῶτις ἱστορία τὰ μὲν φθόνοις καὶ δυσμενείαις, τὰ δὲ χαριζομένη καὶ κολακεύουσα λυμαίνηται καὶ διαστρέφῃ τὴν ἀλήθειαν.* Nec omnino Plutarchum veteris comoediae poetis favere cum ex aliis scriptorum locis tum e comparatione quam scripsit Aristophanis et Menandri clarissime apparet, quocum id quoque consentit, quod longe plurimos veterum comicorum locos, qui in vitis inveniuntur, non ex ipsorum poetarum lectione, sed ex historicis quos adhibuit fontibus hausit.[1])

Ceterum iam hic aliam historiam, quae eodem mihi spectare videtur, adseram. Narratur Per. 3., Periclem ceteris quidem corporis partibus non fuisse reprehendendum, nimium autem et inaequale caput habuisse. Quare eum ab artificibus, ut occultaretur illud vitium, semper cum

1) cf. Rühl, Ueber die Quellen des Plut. Per. Neue Jahrb. f. Phil. 97. p. 672.

casside fictum esse. Quam certe non veram causam fuisse, iam suspicatus est E. Braun Ruinen und Museen Roms p. 405, recteque exposuit E. Curtius (Archaeol. Ztg. 1860, p. 40.) cassidem nihil nisi praetoriae dignitatis signum esse (cf. Conze Archaeol. Ztg. 1868, p. 1). Vix dubium videtur, quin haec quoque narratio sicut sequentes quas affert Plutarchus e comicorum lusu prodierit.

Sed redeamus ad Phidiam, cuius opera, quatenus a Plutarcho commemorantur, iam recenseamus. Eorum quae Cimone rempublicam administrante in memoriam belli Persici dedicabantur, est Minerva illa quae vocabatur *Ἄρεια* Plataeis posita. (Aristid. 20. Phidia non nominato. Paus. IX. 4. 1.) Qua in re diligentia ac fide rerum scriptoris error periegetae corrigitur, qui signum ex ea parte praedae positum esse narrat, quam Athenienses e pugna Marathonia Plataeensibus concesserint. Constat autem per Plutarchum, signum dedicatum fuisse e pugna Plataeensi, cuius praedae octoginta talenta Plataeensibus sociis tradiderunt Athenienses. De errore illo Pausaniae unde ortus sit cf. Brunn K. G. I., p. 162. sqq.

Cum Pericles rei publicae praeesset, operum magnificorum, quibus arcem adornavit, curator et inspector erat Phidias[1]). Nec miramur, si Plutarchum poetico quodam fervore de pulcherrimis illis immortalibusque operibus audimus loquentem, luxuriam et splendorem Romae urbis longe superantibus: *ἔξοχόν τι πρὸς ἐκεῖνα καὶ ἀσύγκριτον ἡ τούτων ἔσχε μεγαλουργία καὶ μεγαλοπρέπεια τὸ πρωτεῖον* (comp. Per. et Fab. III.). Et verum Graeci hominis ingenium artiumque amorem et intelligentiam ostendunt praeclara illa verba, quae optimo iure libro quem de Parthenone scripsit praeposuit Michaelis: *θαυμάζεται τὰ Περικλέους ἔργα πρὸς πολὺν χρόνον ἐν ὀλίγῳ γενόμενα. κάλλει μὲν γὰρ ἕκαστον εὐθὺς ἦν τότε ἀρχαῖον, ἀκμῇ δὲ μέχρι νῦν πρόσφατόν ἐστι καὶ νεουργόν· οὕτως ἐπανθεῖ καινότης ἀεί τις ἄθικτον ὑπὸ τοῦ χρόνου διατηροῦσα τὴν ὄψιν, ὥσπερ ἀειθαλὲς πνεῦμα καὶ ψυχὴν ἀγήρω καταμεμιγμένην τῶν ἔργων ἐχόντων.* (Per. 13.)

Ipsius Phidiae manu factum erat illud Minervae

---

1) De loco Per. 12, quo industria et cuiuslibet artis intentio in conficiendis illis operibus depingitur, cf. Bluemnerum N. Jahrb. f. Phil. t. 113. (1876.) p. 136. sqq.

signum quod vocabatur *Παρθένου· ὁ δὲ Φειδίας εἰργάζετο μὲν τῆς θεοῦ τὸ χρυσοῦν ἕδος καὶ τούτου δημιουργὸς ἐν τῇ στήλῃ εἶναι γέγραπται* (*ἀναγέγραπται* Cobet. nov. lect. p. 773.) Haec columna est illa, in qua verba rationis, quam reddiderunt curatores operum publicorum, incisa erant; nullo modo basim statuae intellegi posse, recte observat Overbeck, Gesch. d. griech. Plastik 1. I. 346. contra R. Rochettium questions sur l'hist. de l'art p. 29, qui loco Cic. Tusc. I. 15, 34: „quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clipeo Minervae, cum inscribere non liceret“ pro n o n legendum censuit n o m e n, mirum putans, quod a iure, quod omnibus semper concessum erat, hic prohibitus fuerit artifex. Sed si cogitamus, quanta invidia et malitia inimicorum ille vexatus fuerit, etiam hoc modo gloriae summi viri eos obtrectasse probabile videtur. Loeschke l. c. p. 26, quamquam tradita Ciceronis verba non mutavit, e clipei imaginibus falso explicatis ea derivat illamque stelen dextrae manus deae fulcrum fuisse putat, in qua Phidiae nomen fuerit incisum. Sed si ibi nomen manifeste legebatur, qui tandem quaeso ex clipei imaginibus illa fabula existere potuit?

Praeterea de statua haec tradit: Aurum, quo erat vestita, demi potuit. (Per. 31.) Pondus auri erat XL talentorum de vit. aer. al. p. 828. B. secundum Thucyd. II. 13, cum Philochorus accuratius de XLIV talentis loquatur. Ceterum quem modo dixi Plutarchi locus[1]) cum Thucydidis verba paulum detorqueat, Volkmanno I. 180. ita levis videtur et frivolus, ut argumento eo utatur, quo scriptum illud non esse Plutarcheum ostendat. Quod equidem non video, quamquam de illo libro, qui iam Benselero suspectus videbatur, aliis ex causis iure dubitari potest. Neque enim solum complures hiatus qui emendatione vix possunt sanari et multa quae a Plutarchi sermone prorsus abhorrent inveniuntur, sed etiam loci inficeti remque verbis nimis extollentes, quos Plutarcho urbano doctoque homini vix quisquam ascribere possit.

Auro illo exuit deam Lachares tyrannus (de Isid. p. 379. C.), quod certe cum expelleretur reliquit, cum

---

1) *Καίτοι ὅ γε Περικλῆς ἐκεῖνος τὸν τῆς θεᾶς κόσμον, ἄγοντα τάλαντα τεσσαράκοντα χρυσίου ἀπέφθου, περιαιρετὸν ἐποίησεν, ὅπως, ἔφη, χρησάμενοι πρὸς τὸν πόλεμον, αὖθις ἀποδῶμεν μὴ ἔλαττον.*

Pausanias statuam incolumem videret. (cf. Wyttenb. ad Plut. de sera num. v. p. 558. C.) Attamen rei dubitatio quaedam adhaeret, nec sine veritatis specie e comici verbis male intellectis historiam fluxisse putat Michaelis, Parthenon p. 44. Anm. 153.

E ceteris statuae partibus commemoratur scutum cum pugna Amazonum, cui Periclis suique ipsius ut calvi senis imagines inseruit Phidias, quas etiam in scuto noti illius signi Athenis conservati (Michaelis T. XV. 1.) et in scuto Strangfordiano qui vocatur (T. XV. 34.) agnoscere licet. Etiam serpens, quem Phidiam deae adtribuisse narrat Plutarchus, (de Isid. p. 381. E. coniug. praec. p. 142. D.) in statua modo nominata reperitur scuto se abdens, itemque in anaglypho T. XV. 8. Michaelis.

Iupiter Olympius opus potissimum Phidiae memoratur Per. 2, de quo loco diximus p. 12. Aem. 28. traditur Aemilii Pauli dictum, Iovem Homeri Phidiam arte expressisse, quod ex Polybio XXX. 15. 3. fluxisse videtur, cf. Strabo VIII. p. 353. Denique Sull. 17. ii, quibus Trophonius in somniis visus est, eum et pulchritudine et magnitudine Iovi Olympio similem fuisse narrant.

Aliud opus in Elide positum statua Veneris erat Uraniae ex auro et ebore confecta, de qua vid. Pausan. VI. 25. Sub pede testudo erat, *οἰκουρίας σύμβολον ταῖς γυναιξὶ καὶ σιωπῆς*, ut dicit Plutarchus de Isid. p. 381. E. (coniug. praec. p. 142. D.) Quod singulare mansisse videtur, cum in tanto Veneris signorum quae nobis servata sunt numero mihi quidem testudo nusquam occurrerit.

Atque his quidem de Phidia commemoratis addam quae Plut. Per. 13. tradit: Cum propylaea aedificarentur, optimus et diligentissimus opificum (secundum Plin. XXII. 44. verna Pericli praecipue carus) ita infeliciter e fastigii altitudine cecidit, ut a medicis relinqueretur. Tum Minerva Pericli per somnum visa rationem qua sanari posset aegrotus ostendit. Atque in huius rei memoriam Pericles aeream Minervae Hygiae statuam posuit in acropoli iuxta aram quae iam antea ibi erat. De qua statua ob illam causam posita tacet Plinius, id quod Schoellii sententiam (Archaeol. Mittheilungen p. 127.) totam historiam ab exegetarum de statua narrationibus fluxisse valde confirmat. Videtur tamen reperta esse eius statuae basis cum hac inscriptione ex qua nomen artificis cognoscimus: „*Ἀθηναῖοι τῇ Ἀθηναίᾳ*

τῇ Ὑγιείᾳ | *Πύῤῥος ἐποίησεν Ἀθηναῖος.* (Corp. Insc. Att. I. 335.) cf. Plin. 34. 80. Pyrrhus (fecit) Hygiam et Minervam. (et del. Ross arch. Auts. I. 190.)

Sequitur Polycletus, Phidiae arte proximus simulque cum eo nominatus Per. 2., cum Phidia et Myrone ad princ. inerud. p. 780. E., qui saepius fortasse traditione quam proprio scriptorum iudicio artis statuariae principes et quasi vicarii multis locis inveniuntur. (Overb. S. Q. 606. 610. 931. al.) Et sicut Phidiae Iupiter Olympius, ita Polycleti Iuno Argiva potissimum nominatur opus Per. 2.

Alterum artificis opus, quod Cicero quidem summum putat (orat. II. 5.) erat nobilis ille doryphorus vel canon. Praeclara haec statua saepe artificis nomine omisso memoratur, sicut Iupiter Olympius, quem Phidiae opus esse nemo nesciebat. (Cic. l. c. Quintil. V. 12. 21.) Quare dubitari non potest, quin ad Polycleti opus pertineat locus Plutarchi praec. reip. ger. p. 820. B. *ἐπαινεῖται γὰρ οὐχ ᾧ*[*γέγονεν, ἀλλ᾽ ὑφ᾽ οὗ γέγονεν ὁ σαλπιγκτὴς καὶ ὁ δορυφόρος.* Cuius sit ille *σαλπιγκτὴς* dubium est, putes Epigoni intellectum esse, qui, ut ait Plinius 34, 88. omnia fere praedicta imitatus praecessit in tubicine et matri interfectae infante miserabiliter blandiente. Qui artifex qua fuerit aetate, e Plutarchi loco, id quod censere videtur Overbeck S. Q. 2095., vix poterit cognosci, mira tamen est infantis illius matrisque similitudo cum Aristidis tabula, in qua oppido capto ad matris morientis ex vulnere mammam adrepens infans pictus erat (Plin. 35, 98.) Vix dubium videtur, quin et statuarius et pictor eandem rem arte tractaverint. Deinde si cogitamus, Aristidem[1]), qui Apellis aequalis erat, omnium primum animum pinxisse et sensus hominum expressisse itemque perturbationes (Plin. l. c. cf. Brunn K. G. II. 174. sqq.), easdem vero multo posterius iu artem statuariam invasisse, Epigonum non modo e pictoris arte hausisse, sed etiam multo serius, altero fere ante Christum seculo, vixisse intellegitur. Certe igitur, si ille *σαλπιγκτὴς* apud Plutarchum est Epigoni, longo temporis spatio a Polycleto distabat. Quae ut video confirmantur inscriptione nuper Pergami reperta, si quidem ad

---

1) Duo huius nominis erant artifices sexaginta fere annos distantes, quorum praeclarior, qui nostram quoque tabulam pinxit, aetate minor est. cf. Urlichs N. Rhein. Mus. XXV. 509. sqq.

hunc Epigonum pertinet, *Ἐπίγονος ἐποίησεν*, cf. Brunn Sitzungsber. d. Münchener Acad. 1880. p. 485.

Polycleti dictum duobus Plutarchi locis invenitur: de prof. in virt. p. 86. A. *οἱ προκόπτοντες . . . . οὐδὲν εἰκῇ τῶν γιγνομένων προσίενται, ἀλλ' οἷον ἀπὸ στάθμης τοῦ λόγου προσάγουσι καὶ προσαρμόττουσιν ἕκαστον. ὑπὲρ οὗ τὸν Πολύκλειτον οἰόμεθα λέγειν, ὡς ἔστι χαλεπώτατον τὸ ἔργον, οἷς ἂν εἰς ὄνυχα ὁ πηλὸς ἀφίκηται.* Sympos. II. 3. p. 636. B. *καὶ γὰρ αἱ τέχναι πρῶτον ἀτύπωτα καὶ ἄμορφα πλάττουσιν, εἶτα ὕστερον ἕκαστα τοῖς εἴδεσι διαρθροῦσι· ᾗ Πολύκλειτος ὁ πλάστης εἶπε χαλεπώτατον εἶναι τὸ ἔργον, ὅταν ἐν ὄνυχι ὁ πηλὸς γένηται.* Quod hic legitur *ὅταν* priore loco pro *οἷς ἂν* sec. Wyttenb. posuit Hercher, quod non necessarium puto.

Et hoc dictum, quod e Polycleti quem de canone scripsit libro fluxisse suspiceris, quid sibi velit, multa iam disputata sunt, novissima a Duentzero N. Jahrb. f. Phil. 101. (1870) p. 493. sqq. Et hoc quidem nemo negabit, tertium comparationis illis locis esse diligentiam: tum difficillima fieri opera, cum ad accuratam singularum partium tractationem et correctionem pervenerint. Polycletum non de ipsius statuae unguibus dixisse, quae est sculptoris v. d. Launitz sententia (Verhandlungen der Philol.-Vers. z. Hannover 1864. p. 180.), mihi certum videtur: primum enim desideraremus pluralem, deinde alii veterum scriptorum loci manifeste repugnant, quae recte observat Forchhammer contra Launitzium. (Verhandlungen d. Philol. Vers. z. Heidelberg 1866. p. 189. sqq.) Pertinet ad ipsorum sculptorum unguem, qua exigua vitia relictasque asperitates investigabant, atque in hoc nondum translato sensu contra Duentzerum illis locis vocem intellectam volo. Deinde si Duentzer voce *πηλὸς* offenditur nec fieri potuisse dicit, ut Polycletus proplasmati luto effícto tantum operae et diligentiae tribuerit, oblitus esse videtur, Polycleti nullum marmoreum opus nobis certe cognitum, immo praeter Iunonem chryselephantinam longe plurima ex aere effícta esse, quod utrumque proplasma diligentissime elaboratum poscebat.

Adserenda sunt aetate sequentia ea opera, quae Lacedaemonii post pugnam apud Aegospotamos commissam Delphis dedicaverunt, enumerata a Pausania X. 9. 7. simul cum artificum nominibus. Donorum illorum Plutar-

chus Lys. 18. commemorat aereas Lysandri et navarchorum statuas (ab illis exegetae initium fecerunt visendi de Pyth. orac. p. 395. B.)[1]), aureas dioscurorum stellas, triremem denique bicubitalem ex auro et ebore factam, quod Cyrus Lysandro praemium victoriae miserat, a Pausania omissam. Lysandri Neptunique qui eum coronabat statuas Dameas vel Demeas fecit Clitorius, Polycleti discipulus secundum Plinium 34. 50, navarchos Tisander Alypus Patrocles Canachus. Hunc Polycleti discipulum fuisse tradit Paus. VI. 13. 7, sed ceteros quoque, quos praeter Tisandrum Sicyonios fuisse constat, cum Polycleto aliquo modo cohaesisse admodum probabile est. In illis statuis etiam Plutarchi aetate floridum praecipue aeris colorem miratus est advena, non situi aut aerugini similem, sed chalybis tinctura rutilantem, ita ut bene deceret navarchos caeruleus profundi maris color.[2]) (de Pyth. orac. l. c.)

De stellis Dioscurorum aliquis quaerat, utrum pileis ipsarum Castoris et Pollucis statuarum, quae secundum Pausaniam una cum ceteris dedicatae erant, affixae fuerint, quod ornatus genus in nummorum ectypis cognosci licet,[3]) an separatim positae fuerint eodem fere modo, quo secundum Herodotum VIII. 122. Aeginetae tres stellas aureas aereo malo affixas Delphis dedicaverunt. Ita etiam Lacedaemoniorum stellas fuisse iam inde apparet, quod locis ubi commemorantur (Plut. Lys. 18. de Pyth. orac. p. 397. F. Cic. de div. I. 75) statuarum nulla fit mentio. Stellas illas paulo ante Leuctricam pugnam decidisse neque repertas esse periegetarum erat narratiuncula. (de Pyth. or. l. c.)

C e p h i s o d o t u s, quem Praxitelis patrem fuisse admodum probabile est, nominatur Phoc. 19. prioris Phocionis uxoris frater.

Ipse P r a x i t e l e s a ceteris fere omnibus imprimis a Luciano maxime celebratus quod raro invenitur apud Plutarchum mirum est. Memorantur Phrynes simulacra, sed semper explicatione philosophica adiuncta. Quorum duo fecisse eum constat: alterum inauratum Delphis stans inter regum et reginarum statuas, quod Crates tropaeum

1) cf. Ulrichs, Reisen und Forschungen in Griechenland I. 60.

2) *ὥστε καὶ πρέψαι τι πρὸς τοὺς νεάρχους* cum Wyttenbachio legendum est pro *πέμψαι*.

3) Millin, galérie mythol. 524—29.

intemperantiae Graecorum dixerat. (de Pyth. orac. p. 401. A. D.)[1]) Contra in sermone illo ab alio loquentium laudatur Praxiteles, quod aureis istis regibus apposuerit auream meretricem, in divitiis nihil admirabile nec venerabile inesse comprobans. Visebatur igitur etiam tum illa statua Delphis. Quae vero de Cratetis dicto et de ipsa Phryne proprie Mnesarete vocata narrantur, ea e periegetarum delphicorum enuntiatis, quibus Athenaeus[2]) quoque utitur, ubi de hac statua verba facit, hausta esse verisimile est.

Alterius signi una cum praedicto et Amoris statua mentio est Amator. p. 753. E. *ἡ δὲ σύνναος μὲν ἐνταυθοῖ* (sermo Thespiis habetur) *καὶ συνίερος τοῦ Ἔρωτος, ἐν Δελφοῖς κατάχρυσος δ᾽ ἑστῶσα μετὰ τῶν βασιλέων καὶ βασιλειῶν, ποίᾳ προικὶ τῶν ἐραστῶν ἐκράτησεν;* Conferas quae Phryne Praxiteli scribit apud Alciphr. epist. fr. 3. (ed. Meineke.) *μέση γὰρ ἕστηκα ἀπὸ τῆς Ἀφροδίτης καὶ τοῦ Ἔρωτος ἅμα τοῦ σοῦ.* Ceterum ipse Praxitelis Amor tempore quo Plutarchus scripsit Thespiensibus iam dudum a Nerone ereptus erat, quem imitatus alium fecerat Menodorus Atheniensis. (Paus. IX. 27. 3.)

[Praxitelis filii Cephisodotus et Timarchus auctores memorantur lignearum imaginum Lycurgi oratoris et filiorum in vit. X. orat. p. 843. E. Pseudoplutarcheis.]

Adseramus ceteros eiusdem temporis artifices Atticos. E quibus commemoratur Sthennis Olynthius Autolyci herois Sinopae conditoris statuae aeneae auctor, quam Lucullus anno LXX. a. Chr. captam Romam transtulit. (Luc. 23)[3]) cf. Strabo XII. p. 546. Appian. Mithr. 83.) Plutarchum e Sallusti historiis hausisse verisimile est.[4])

Silanio Atheniensis Lysippi fere aequalis Thesea ex aere fudit, qui sicut Parrhasii tabula Athenis erat collocatus. (Thes. 4.) Plura vero comperimus de eiusdem

---

1) Idem de Al. M. fort. s. virt. p. 336. C. Quodsi Diogenes Laertius VI. 60. a Diogene Cynico aureo Veneris signo a Phryne Delphis dedicato illa inscripta esse narrat, de signo quidem, quod aliunde prorsus ignotum est, certe errare videtur.

2) XIII. p. 591. B. *ὥς φησιν Ἀλκέτας ἐν δευτέρῳ περὶ τῶν ἐν Δελφοῖς ἀναθημάτων.*

3) Forma *Σθένιδος* tradita apud Plutarchum mutanda est in *Σθέννιδος*, quae inscriptionibus confirmatur. (Ross, archaeol Aufs. I. 180)

4) cfr. Peter, die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer p. 106. sqq.

artificis Iocasta moriente. (de aud. poet. p. 18. C. Symp. V. 1. p. 643. E.) Miratur in hac statua summam veritatis speciem, quae a vere morientis vix absit, praesertim cum oculorum deceptionem eo auxerit artifex, ut ad faciem fundendam aes argento mixtum adhiberet, quo lividum morientis colorem imitaretur. Has iam labentis artis argutias esse nemo est quin videat. Ubinam opus fuerit collocatum non certe traditur, puto Athenis, cum et artifex fuerit Atheniensis aliaque eius opera ibi inveniantur et sermo ille Symp. V. 1., ubi statuae est mentio, Athenis habitus fingatur. Urlichs (observationes de arte Praxitelis Würzb. 1868. p. 14.) quasi ornamentum theatri statuam illam, cuius argumentum e dramate sit desumptum, positam fuisse suspicatur.

Item Athenis collocata erat Demosthenis statua, bene cognita Plutarcho, qui miram rem, quae brevi antequam ipse Athenas venit, acciderat, enarrat de milite, qui aurum quod manibus statuae implexis imposuerat, paulo post foliis platani vicini delapsis occultatum incolume repperit. (Demosth. 30.) Plura de statua invenimus in vit. X. orat. p. 847. B., ubi nomen quoque cognoscitur artificis Polyeucti. Huius statuae exemplum esse eam quae nunc in Vaticano asservatur verisimile est. (cf. quae affert Overb. ad S. Q, Nr. 1368.)

Lysippi nomen tum solum commemoratur, ubi ad Alexandri Magni historiam pertinet. Sine artificis nomine sermo est de Herculis colosso, quem Tarento capto in Capitolium transportavit Fabius Maximus. (Fab. Max. 22.)

Alexandrum, ut ait Plinius 34. 63., multis operibus fecit Lysippus, a pueritia eius orsus. Ab eo solo rex aere se fingi voluit, et iure quidem, ut videtur Plutarcho, quippe cum Lysippi signa optime corporis speciem ostendant, quod is solus aere ingenium regis simulque cum forma etiam virtutem expresserit. Finxerat eum facie sursum conversa colloque leniter inflexo, sicut solebat suspicere Alexander, neque quisquam praeter eum oculorum splendorem[1]) heroicum leoninumque vultum satis potuit imitari. (Alex. 4. de Al. virt. s. fort. II. 2. p. 335. B.)

---

1) *τῶν ὀμμάτων τὴν διάχυσιν καὶ ὑγρότητα.* Aliud Alexandri insigne erat illa *ἀναστολὴ τῆς κόμης*, qua Pompeius ei similis erat. (Pomp 2.)

Haec omnia pertinent ad statuam Alexandri hastati, τὸν ἐπὶ τῆς αἰχμῆς, ut vocabatur. (de Al. virt. s. fort. p. 335. F. cf. de Isid. p. 360. D.) Utrum haec statua fuerit, qua Delphis conspecta Cassander subito timore inhorruit (Alex. 74.), an illa leonis venatio Alexandri a Lysippo et Leochare[1]) facta, quam Delphis a Cratero collocatam esse constat (Alex. 40.), discernere non audeo. Memorat hanc venationem etiam Plinius 34, 64. e Pasitele ut videtur.[2]) Ceterum Plutarchi quoque descriptiones, imprimis quae de habitu Alexandri narrat, ita accurata intelligentiaeque plena sunt, ut rationi hominum, qui ista profitebantur, non aliena videantur. Notum autem est, e Lysippi schola Sicyonia primum scripta de arte et artificibus provenisse, quae certe non pauca ad magistri gloriam contulerunt. E quibus illa fluxisse non videtur incredibile, quae si non ipsa legit Plutarchus, tamen exempli gratia per Polemonem, cuius opera eum lectitasse constat,[3]) cognoscere ei licuit.

Praeterea Alexandri statua equestris erat in turma illa amicorum, qui ad Granicum ceciderant, secundum unum Velleium I. 11., 3., cuius fidem recte in dubium vocavit Wustmann, Apelles Leben und Werke p. 105. Cecidisse enim numero XXXIV. Plutarchus narrat secundum Aristobulum (Alex. 16), quorum novem pedites fuerint. Atque hi quidem non videntur ficti esse, cum Arrian. anab. I. 16. 7. de XXV interfectis totidemque statuis loquatur.

In arte toreutica admiranda propter subtilitatem opera fecerunt Callicrates Lacedaemonius et Myrmecides Milesius alibi Atheniensis dictus. (cf. Brunn K. G. II. 406. Kroker, gleichnamige griechische Künstler. Diss. Lpz. 1883. p. 7.) Memorat Plutarchus currus, qui ala muscae tegerentur, et versus Homericos in sesamo insculptos. (de comm. not. p. 1083. E.) Quantum in huiusmodi minutae artis operibus profecerint Graeci, etiam nunc videre licet in iis, quae in Chersoneso Taurica reperta sunt.

Italus artifex nominatur Veturius Mamurius, qui

---

1) Idem Leochares Isocratis fecit statuam aeream secundum vit. X. orat. p. 838. B.

2) cf. Furtwängler, N. Jahrb. f. Philol. Suppl. Bd. IX. 1877. p. 39. 51.

3) Symp. V. 2. p. 678. B. Preller Pol. fr. p. 29.

ancilis illius coelo delapsi undecim alia fecit prorsus similia. (Num. 13. cf. Brunn K. G. I. 530.) Hausit Plutarchus e Varrone. (Peter, die Quellen P.'s in den Biogr. d. Roemer, p. 167.)

Denique addo nomina architectorum: Ictinus (cf. p. 19) et Callicrates, Parthenonis aedificatores, Coroebus Metagenes Xenocles telesterii Eleusinii, Mnesicles propylaeorum memorantur. (Per. 13.) Stasicratis nomen a Plutarcho solo traditur (Alex. 72. de Al. M. virt s. fort. II. p. 335. C.); saepissime ille Alexandri Magni architectus vocatur Dinocrates, sed inveniuntur sex diversa hominis nomina. (cf. Brunn K. G. II. 351.)

Cap. III.

De pictoribus.

In pictorum numero aetate primus est Polygnotus. Cuius opera quae commemorat Plutarchus omnia nisi fallor ipse vidit, primum quidem picturas quae erant in lesche Cnidiorum Delphica. Cum enim in eo sermone qui est de defectu oraculorum, loquentes a templo Apollinis progressi leschen intrassent multumque ibi cum amicis de quaestione illa disseruissent, procedente oratione cum in duplicem artis operum causam incidisset sermo, Polygnoti quoque excidium Troiae affertur exemplum quattuorque colores nominantur, quibus antiqui illi pictores solebant pingere, citaturque praeterea inscriptio a Simonide facta. (de def. or. p. 436. B.) Cumque secundum Pausaniam illa pictura ingredienti fuerit dextra, in sinistra lesches parte loquentes consedisse haud improbabiliter coniciemus.

Eandem rem Polygnotus pinxit Athenis in porticu quae vocabatur ποικίλη non sumpto laboris pretio. E quattuor quas Pausanias vidit picturis diserte Polygnoto tertiam tribuit Plutarchus Cim. 4., ubi specie Laodices Priami filiae Elpinicen Cimonis sororem depinxerat. Ex hac imagine fluxisse narrationem, eam cum Polygnoto adulterium exercuisse, recte censet Brunn K. G. II. 17., nec augetur fides, fonte qui videtur Plutarchi constituto Iuba rege Mauretaniae. (cf. Harpocrat. v. Πολύγνωτος; Rühl, die Quellen Plutarchs im Leben des Cimon Marbg. 1867. p. 51.) Has quoque picturas Plutarcho ipsi visu

cognitas esse verisimile puto; nam cum saepius Athenis moratus sit urbemque bene noverit[1]), opera illa cum propter artem tum propter historica quibus implicitus erat studia vix eum arbitror praeteriisse.

Aristophontis fratris Polygnoti Philoctetes simul cum Silanionis Iocasta propter summam veritatis speciem laudatur de aud. poet. p. 18. C. Symp. V. I. p. 673. E. Contra error est Plutarchi, cum Aristophonti Nemeae tabulam ascribit cum Alcibiade in gremio sedente (Alcib. 16.) Hanc enim pinxit Aglaophon, filius fortasse Aristophontis, ut tradit Athen. XII. 534. D. secundum Satyrum. Altera praeterea causa est, cur Plutarcho hoc loco fidem derogemus. Nam cum tabula illa propter victoriam curruum certamine partam picta sit, vicerit autem Alcibiades olympiade XC. vel XCI., valde dubium est, etiam tum, quamvis iunior fuerit frater Polygnoti, Aristophontem arte floruisse.[2])

De glor. Athen. p. 246. A. in numero eorum pictorum, per quos Athenae gloriam consecutae sint, nominatur Plistaenetus Phidiae frater. Cuius nomen cum alibi nusquam inveniatur, eundem eum esse ac Panaenum Phidiae fratrem vel consobrinum (ἀδελφιδοῦς Strabo), qui pugnam Marathoniam pinxit in poecile, iam O. Mueller de Phid. p. 8. declaravit sequentesque assensi sunt. Hoc eo minus dubium videtur, quod Panaenus ac Plistaenetus idem fere nomen est. *Πάναινος* in *Πανταίνετος* vel *Πλείσταινος*, quae nomina exstant, immutatus facile vocari potuit *Πλεισταίνετος*.

De Pausonis equo se volutante eodemque currente narratur fabella de Pyth. orac. p. 396. E. valde pervulgata ut videtur, cf. Pseudo-Lucian. Demosth. encom. 24. Aelian. var. hist. XIV. 15. Aliud pictoris opus nominatim omnino non memoratur.

Agatharchus Samius quidem, sed Athenis artem exercens erat *αὐτοδίδακτος*, ut narrat Olympiodorus[3]) ad Plat. Phaed. ed. Finckh. p. 127. ex Plutarcho. (*ἐκ τῶν τοῦ Χαιρωνέως*, Wyttenb. V. 738.) Quod a consueta

---

1) Volkmann Plutarch I. 60.

2) Bursian N. Jahrb. f. Philol. 73. (1856.) p. 517.

3) *ἢ μάλιστα μὲν γεγόνασί τινες αὐτοδίδακτοι· Ἡράκλειτος, ὁ Αἰγύπτιος γεωργός, Φήμιος ὁ Ὁμήρου* [χ 347], *Ἀγάθαρχος ὁ γραφεύς*. De Heraclito cf. Diog. Laert. IX. 1. 5, de Aegyptiis agricolis Dionys. Perieg. 233. sqq.

ratione abhorruisse notum est: Plin. 34. 51. in Silanione mirabile esse dicit quod nullo doctore nobilis fuit, idemque Duris tradidit de Lysippo (Plin. 34. 61.) — Ab Alcibiade vi domo inclusus tum demum cum picturis eam adornavisset, dimissus est donatus. (Alc. 16.) Traditur denique quod Zeuxis Agatharcho dixit glorianti quod celeriter faciliterque pingat, se longo temporis spatio pingere. (Pericl. 13.) Trita erat sine dubio in rhetorum scholis haec narratiuncula de Zeuxide, cum omisso Agatharchi nomine reperiatur etiam de amic. mult. p. 94. F.

Plutarchum non exiguae pingendi artis intelligentiae fuisse docet iudicium de Dionysio pictore Timol. 36 (vid. p. 14.), quod bene cum ceteris, quae de hoc artifice tradita sunt, convenit. (cf. Brunn K. G. II. 48. sqq.)

Eorum pictorum, qui Athenas nobilitaverunt, primo loco nominat Apollodorum, qui primus invenit *φθορὰν*[1]) *καὶ ἀπόχρωσιν σκιᾶς*. Et dignus est illa laude: lucis enim et umbrae temperatione coloribus effecta speciem ut ait Plinius 35. 60. expressit et illusionis quam nos dicimus habuit rationem, ita ut non sine causa aliquo modo primum eum pictoris nomine appellaverit Brunn K. G. II. 73. Cuius operibus inscriptio facta est: *μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται*[2]), quod Zeuxidem athletae a se picto subscripsisse narrat Plin. 35. 63. Inde nonnulli Apollodorum quoque ipsum operibus suis illum versum addidisse eamque ob causam artifici superbiae vituperationem iniungi collegerunt, quod ex Plutarchi verbis *οὐ τοῖς ἔργοις ἐπιγέγραπται* nullo modo effici potest. Nihil enim aliud fortasse significant, nisi quendam in Apollodori opera epigramma illud fecisse.

De Zeuxide, qui ut ait Plinius ab Apollodoro artis fores apertas intravit, secundum Apellem plurimae ferebantur narratiunculae. Affert Plutarchus quod iam me-

---

1) cf. de Ei Delph p. 393 C. *τὰ μιγνύμενα τῶν χρωμάτων οἱ βαφεῖς φθείρεσθαι καὶ φθορὰν τὴν μῖξιν ὀνομάζουσιν.* Symp. p. 725. C. de def. or. p. 436. A. *φάρμακα συμφθαρέντα ἀλλήλοις.*

2) de celebri hac locutione cf. Jahn Ber. d. sächs. Ges. d. W. 1856. p. 287. Benndorf de auth. gr. epigr. quae ad artes spectt. p. 27. Anm. 3. Fluxisse videtur ex Theognidis v. 369. 370.

μωμεῦνται δέ με πολλοί, ὁμῶς κακοὶ ἠδὲ καὶ ἐσθλοί,
μιμεῖσθαι δ' οὐδεὶς τῶν ἀσόφων δύναται.

moravi responsum Agatharcho datum[1]) Nicomachique dictum de artificis Helena (vid. p. 15.) Aeliano quoque cognitum. (Var. hist. XIV. 47.) Quam ad tabulam maxime respicit Plutarchus, si Zeuxim simul cum Apelle et Nicomacho inter praeclaros mulierum pictores nominat. (de mul. virt. p. 243. A.) Pinxit praeterea Penelopen et Alcmenen. (Plin. 35. 62. 63.)

Parrhasius Ephesius Zeuxidis aemulus These apinxit eamque ob rem honoratus est ab Atheniensibus. (Thes. 4.) Hunc honorem in civitate donata constitisse valde probabiliter coniecit Brunn K. G. II. 97., cum nonnullis veterum locis non Ephesius vocetur sed Atheniensis. Erat autem haec tabula postea Romae in capitolio (Plin. 35. 69.), ubi Plutarchum eam vidisse putem, cum Euphranoris de hac pictura iudicium ipse confirmet. Dixit enim Euphranor Parrhasii suique ipsius Thesea comparans, videri illum rosis pastum esse, suum carne bubula. Atque pergit Plutarchus: *τῷ γὰρ ὄντι γλαφυρῶς ὁ Παῤῥασίου γέγραπται καὶ πεποίηται καί τι προσέοικε.* (de glor. Athen. p. 346. A.) Extrema haec certe corrupta sunt; Wyttenb. epigramma post vocem *πεποίηται* excidisse putat, cuius reliquiae sint *καί τι προσέοικε.* Coniecturam satis probabilem mihi attulisse videtur Facius p. 180. *καὶ πέπονί τι προσέοικε* (*πέπων· ἔκλυτος ἀσθενής* Hesych.)

Pinxit etiam Ulixis simulatam insaniam de aud. poet. p. 18. B.[2]). Eandem Euphranor pinxit (Plin. 35. 129.), cuius opus describere videtur Lucianus de domo 30., cf. Bluemner, Archaeol. Studien zu Luc. p. 65. sqq., cuius tamen sententiam Plinii locum item ad Parrhasii opus referendum esse probare non possum.

Zeuxidis aequalis erat etiam Androcydes Cyzicenus. Is imaginem pugnae, in qua Pelopidas et Epaminondas maxime fuerunt conspicui, Thebanis pingendam susceperat, cui post Cadmeam Ol. C. 2. receptam gloriae illorum obtrectantes Charonis nomen inscribere voluerunt adversarii. (Pelop. 25.) Quae nec Xenophon narravit nec Ephorus; fontem suspicatur Callisthenem Queck de fontib. Plut. in vita Pelop. p. 22. Jena 1876.

---

1) Pericl. 13. De forma *Ζεύξιππον*, quae est in cod. Vat. pro *Ζεῦξιν*, cf. Helbig, N. Jahrb. f. Philol. 1867. p. 648.
2) Sed vid. quae infra p. 53. suspicatus sum.

Idem in Scyllae tabula pisces summa cum diligentia atque arte depinxit, qua in re, ut ait Plutarchus, *ἔδοξε τῷ πάθει μᾶλλον ἢ τέχνῃ κεχρῆσθαι· φύσει γὰρ ἦν φίλοψος.*[1]) (Symp. IV. 2. p. 665. D. IV. 4. p. 668. C.) Desumpsit hoc ex Polemone, sicut Athenaeus VIII. 341. A Preller Pol. fr. p. 107.) Utrum Scylla Nicomachi (Plin. 35. 109.) et Phalerionis (143.) monstrum illud Odysseae an Nisi filia fuerit dubium est.

Alio modo ac Zeuxis et Parrhasius de arte merita est Sicyoniorum pictorum schola. De ratione, quae inter utrosque intercedebat, cf. Brunn K. G. II. 130. sqq. W. Helbig, „Zeuxis und Parrhasius" in N. Jahrb. f. Philol. 1867. p. 648. sqq. Wustmann, „Die sicyonische Malerschule" in N. Rhein. Mus. XXIII. (1868.) p. 454. sqq. Michaelis in Archaeol. Zeitung XXXIII. (1875.) p. 30. sqq.

De pictura Sicyone florente loquitur Plutarchus in vit. Arat. c. 13. fonte usus haud contemnendo Polemonis libro quem scripsit de tabulis Sicyoniis: (Preller p. 47.) *Ἤνθει γὰρ ἔτι δόξα τῆς Σικυωνίας μούσης καὶ χρηστογραφίας, ὡς μόνης ἀδιάφθορον ἐχούσης τὸ καλόν, ὥστε καὶ Ἀπελλῆν ἐκεῖνον ἤδη θαυμαζόμενον ἀφικέσθαι καὶ συγγενέσθαι τοῖς ἀνδράσιν ἐπὶ ταλάντῳ.* Aristrato cum curru et Victoria pingendo cum Melanthio vel Melantho ut dicit Plutarchus Apelles quoque operam navavit. Aristratus Philippi Macedonis aetate Sicyone erat tyrannus, et tum Apelles Sicyone discebat. Unde autem ex hoc loco collegerit Wustmann l. c. p. 464., Apellem gloria Sicyoniae scholae Arati aetate florente commotum esse ad eam visendam, cum Apelles iam dudum mortuus esset, eamque ob causam gravem iniunxerit Plutarcho errorem vel tironi perspicuum, intellegere non possum.

Tabulam illam Aratus liberata urbe ut erat *πικρὸς μισοτύραννος* (Arat. 10.) cum delere vellet, Nealcis pictoris precibus commotus currum et Victoriam ei condonavit, Aristratum autem exstinxit Nealces palmamque pro eo tabulae imposuit: *φοίνικα μόνον ἐνέγραψεν, ἄλλο δὲ οὐδὲν ἐτόλμησε παραβαλεῖν.* Neque enim cum Brunnio

1) cf. Symp. IV. 4. p. 664. F. *πολλῶν ὄντων ὄψων ἐκνενίκηκεν ὁ ἰχθὺς μόνον ἢ μάλιστά γε ὄψον καλεῖσθαι· Καὶ γὰρ ὀψοφάγους καὶ φιλόψους λέγομεν . . . τοὺς περὶ τὴν ἰχθυοπωλίαν ἀναδιδόντας ἑκάστοτε.* — Glaucetas et Morychus *ὀψωνοῦντες* ap. Aristoph. Pac. 1008. Ach. 877. c. scholl.

(K. G. II. 144.) *φοίνικα* rubrum colorem, quem Aristrati figurae illeverit Nealces, significare putandum est, cum haec vocis significatio in poetico tantum sermone usu veniat, certe apud Plutarchum nusquam inveniatur.

Melanthius ille discipulus erat sociusque Pamphili, quorum operum, cum Ptolemaeo Euergetae tabulas colligeret, Aratus imprimis habuit rationem, qua in re, ut dicit Plutarchus, ostendit *κρίσιν οὐκ ἄμουσον*. (c. 12.) Quod sine dubio Aratus ipse in commentariis, quos sequitur Plutarchus, narraverat.

Pro Chaerephanis nomine alibi ignoto, qui secundum Plutarchum de aud. poet. p. 17. F. pinxit *ἀκολάστους ὁμιλίας γυναικῶν πρὸς ἄνδρας* Wyttenbach ponere vult Nicophanem, et ipsum Sicyoniae scholae artificem, quem Polemo ap. Athen. XIII. 567. B. enumerat inter *πορνογράφους*, cui assentitur Brunn K. G. II. 157. ceterique. Rem ita se habere non prorsus negaverim, mira tamen eiusmodi fuerit corruptio magisque mirus ipsius auctoris error. Quid si commutes Chaerephanis nomen cum Parrhasio antecedente? Parrhasii picturae Ulixis simulatam insaniam ostendentis item alibi mulla fit mentio, lascivis autem eius generis iocis eum indulsisse confirmant Plinius 35. 71. Sueton. Tiber. 44.

Eadem fere aetate qua Sicyone pingendi ars florebat, Thebis quoque indeque edocti Athenis praeclari artifices exstiterunt unius scholae vinculo coniuncti. Quorum primus gloriam adeptus est Nicomachus, quem iam ex dicto illo de Zeuxidis Helena cognitum habemus. Quantam autem ei tribuerit auctoritatem Plutarchus inde apparet, quod eum simul cum Zeuxide et Apelle nominat de mul. virt. p. 243. A., alio autem loco (Timol. 36.) eius picturas cum Homeri versibus comparat, cum praeter reliquam vim et gratiam expedite et facile elaboratae videantur. Narratiunculam, quae in scripti Pseudoplutarchei *περὶ ἀσκήσεως* versione syriaca tradita est, ad artificis nostri aetatem accurate stabiliendam adhibet Buecheler N. Rh. Mus. XXVII. p. 536, Anm. 1. Ibi enim narratur, Antipatro Macedonum regi, cum pretium, quod pro effigie sua quadraginta diebus a Nicomacho picta solverat, nimis magnum dixisset pro tam brevis temporis labore, respondisse artificem, non quadraginta dies, sed totidem annos in tabula perficienda se consumpsisse: tam diu enim se

didicisse, ut facile et celeriter pingere posset. Cumque Antipater annis 323—319 a. Chr. post Alexandri mortem Macedoniae imperium administraret, Nicomachum tum eum adiisse concludit Buecheler, ita ut quadraginta illis annis in calculum adhibitis arti operam dare coeperit annis 363—359. Contra ea recte disputat Kroker (Gleichnamige griechische Künstler. Diss. Lips. 1883. p. 29.) cum propter aetatem Aristidis filii Nicomachi male cum hoc calculo consentientem tum quod totius narratiunculae fides valde dubia videatur.

Euphranor simul cum Nicomacho patris illius Aristidis[1]) senioris fuit discipulus nec minore floruit auctoritate. Enumeratur inter claros pictores Athenienses de glor. Athen. p. 346. A., iamque commemoratum est eius iudicium de suo ipsius Parrhasiique Theseo, quod ipse Plutarchus probat: *τὸν δ' Εὐφράνορος ἰδών τις εἶπεν οὐκ ἀφυῶς*·[2])

Δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος, ὅν ποτ' Ἀθήνη
θρέψε, Διὸς θυγάτηρ. (Hom. *B.* 547.)

Quibuscum consentiunt quae dicit Plinius 35. 128., eum primum dignitates heroum expressisse videri. Plutarchus tabulam, quae secundum Pausaniam I. 3. 3. simul cum proelio equestri Mantineensi Athenis in porticu quadam Ceramici erat, sine dubio ipse vidit. Erant in eadem tabula etiam Democratiae et Demi imagines. (Paus.) Iudicium vero illud Euphranoris, quod Plinius quoque affert, e libro, quem scripsit de symmetria et coloribus, (Plin. 35. 129.) desumptum esse iam E. Mueller Theorie der Kunst II. 254. suspicatus est.

Eodem loco Plutarchus etiam proelium equestre brevi ante pugnam Mantineensem commissum pictumque ab Euphranore commemorat fusiusque et de ipso proelio et de pictura loquitur. cf. Schaeferum N. Rhein. Mus. V. S. 58. sqq. longius de tota re disputantem. Laudat Plutarchus tabulam ipsos pugnantium animos manifeste ostendentem: *καὶ πάρεστιν ὁρᾷν ἐν εἰκόνι τῆς μάχης τὸ σύγκραμα* (vel *σύρρηγμα* pro *σύγγραμμα* quod est traditum) *καὶ τὴν ἀντέρεισιν ἀλκῆς καὶ θυμοῦ καὶ πνεύματος γέμουσαν.*

1) Secundum Urlichsii coniecturam (Chrestom. Plin. p. 365. N. Rhein. Mus. XXV. [1870] p. 509.) Aristidi pro Aristiaei legentis.
2) *τις* post *ἀφυῶς* delevi

Ibidem Niciae quoque mentio est, Antidoti, qui apud Euphranorem didicerat, discipulus. De acerrimo quo tenebatur inter pingendum studio, ita ut cibi et potionis oblivisceretur, narratio traditur an seni sit ger. resp. p. 786. B. Aeliano quoque nota var. hist. III. 31. Necyiam praecipue eum hoc studio pinxisse memoratur non posse suav. p. 1093 C., quod Plutarchum fecisse puto, ut sequentia afferendi sibi daretur occasio, artificem hanc tabulam sexaginta talentis Ptolemaeo regi[1]) vendere noluisse. Patriae suae condonavit opus (Plin. 35. 132.), et fortasse vidit Plutarchus Athenis.

De Apellis cum Sicyoniis coniunctione modo dictum est. Operum eius nullum commemoratur praeter Alexandri Magni imaginem fulmen tenentis, quae non imitabilis dicebatur, sicut ipse Alexander invictus. (de Al. M. virt. s. fort. II. p. 335. A.) Fortasse haec ad epigramma referenda sunt. De Lysippi vituperatione in primo capite (p. 8) diximus. Ceterum hanc tabulam, qua divinis honoribus ornatus erat Alexander, non ante expeditionem ad Iovis Ammonis oraculum susceptam, cum dei filius pronuntiatus et ipse talem venerationem postularet, perfectum esse recte observat Wustmann Apelles' Leben und Werke p. 54. De tinctura tabulae Plutarchus narrat, Alexandrum colore magis fusco atque obscuriore pictum fuisse, quamquam candidus fuisse ferebatur pectore potissimum et facie purpurascente. (Alex. 4.) Obscuriore in pictura colore viros a feminis discretos esse notum est — exempli gratia contempleris imagines e luto figuratas Athenis repertas ap. Stackelberg, Gräber der Hellenen Tab. LXI. LXVIII. multaque vasa picta picturasque Pompeianas. Quare hac quoque tabula validiorem ingentioremque regem depingere voluisse artificem putem, heroa illum Euphranoris imitatum carne bubula pastum

In pictura illa Calumniae, quae Apelli ascribebatur (Lucian. cal. non. tem. cred. 4.), etiam depictus erat *ἀνὴρ ὠχρὸς καὶ ἄμορφος, ὀξὺ δεδορκὼς καὶ ἐοικὼς τοῖς ἐκ νόσου μακρᾶς κατεσκληκόσι. τοῦτον οὖν εἶναι τὸν Φθόνον ἄν τις εἰκάσειε.* Hunc fortasse respexit Plutarchus

1) Plinius falso Attalum nominat. Correxit Perizon. ad Aelian. l. c. — De Necyia in vasis picta cf. Jahn Münchener Vasensammlung p. CCXXIII, sarcophagis insculpta Berichte der sächs. Ges. d. Wissensch. 1856 p. 267. sqq.

et ipse de invidiae adumbratione dicens: *ὧν οὐδενὸς ὁ φθόνος ἧττον ἐνδύεσθαι τῇ ψυχῇ πεφυκώς, ἀναπίμπλησι καὶ τὸ σῶμα πονηρίας, ἣν οἱ ζωγράφοι καλῶς ἐπιχειροῦσιν ἀπομιμεῖσθαι τὸ τοῦ φθόνου πρόσωπον ὑπογράφοντες.* (Symp. V. 7. p. 681. E.)

Quod Plutarchus ab Apelle Megabyzo salse dictum tradit de adul. et amico p. 58. D. de tranq. animi p. 471. F., Plinius 35. 85. ipsi Alexandro, Aelianus var. hist. II. 2. Megabyzo quidem, sed a Zeuxide dictum fuisse narrat, Plutarchum ut solet sequens nec attente describens. (Wyttenb.)

Aliud Apellis dictum est in libello non genuino de lib. educ. p. 7. A.

Protogenes Caunius secundum ipsius Apellis iudicium ingenio ei fere par erat. (Plin. 35. 80.) Locus de eo est Demetr. 22. *ἔτυχε τοῖς Ῥοδίοις ὁ Καύνιος Πρωτογένης γράφειν τὴν περὶ τὸν Ἰάλυσον διάθεσιν,*[1]) *καὶ τὸν πίνακα μικρὸν ἀπολείποντα τοῦ τέλους ἔχειν ἔν τινι τῶν προαστείων ἔλαβεν ὁ Δημήτριος.* Rhodiorum legatis orantibus ut tabulae parcat respondit Demetrius, se patris sui imagines delere malle quam tantae artis et laboris opus. (cf. reg. et imp. apopth. p. 183. A.) Septem enim annis Protogenes tabulam confecisse dicitur. Sed cum a Plutarchi Gelliique (N. A. XV. 31.) narratione Plinius (35. 104. 5.) eo dissentiat, quod Ialysum iam perfectum et in ipsa urbe collocatum a Satyro, qui dicebatur *ἀναπαυόμενος*, quem inter obsidionem prope hostium castra pingebat artifex, diserte separet, (cf. quoque Strabon. XIV. p. 652.), illos scriptores ea quae de Satyro narrabantur falso ad Ialysum praeclarissimum artificis opus transtulisse recte censuit Stark Archaeolog. Studien p. 26. sqq. et cum eo Brunn K. G. II. 237. Quae fugerunt Schubertium N. Jahrb. f. Philol. Suppl. IX. 1878. p. 717., qui inter obsidionem Protogenem in Ialyso pingendo occupatum fuisse pro certo confirmat.

Pergit Plutarchus Apellis admirationem quam huic tabulae tribuit enarrans: *μέγας ὁ πόνος καὶ θαυμαστὸν τὸ ἔργον, οὐ μὴν ἔχειν χάριτας, δι᾽ ἃς οὐρανοῦ ψαύειν τὰ ὑπ᾽ αὐτοῦ γραφόμενα,* quae fere ad verbum transsumpsit

---

1) De voce *διάθεσις* cf. Wyttenb. in Plut. de aud. poet. p. 17. B. Preller Pol. fr. p. 100. sqq.

Aelianus var. hist. 12. 41. Apud Plinium quoque (35. 80.) ad hanc tabulam certe respexit Apelles.

Ialysum Cicero Rhodi vidit (Orat. II. 5. 11.) Plinii vero aetate Romae erat dicatus in templo Pacis. De interitu tabulae apud Plutarchum haec inveniuntur: *ταύτην μὲν οὖν τὴν γραφὴν εἰς τ'αὐτὸ ταῖς ἄλλαις συνωσθεῖσαν ἐν Ῥώμῃ τὸ πῦρ ἀπενείματο.* Brunn K. G. II. 237. eam Commodo regnante combustam esse putat, quem certe hic locus prorsus fugerat etiam ab Overbeckio S. Q. praetermissus.

Attamen dubitatione non est vacuus. Templum Pacis a Vespasiano anno LXXV. p. Chr. dedicatum Pliniique mentio ad annum LXXVII, quo Tito misit opus, referenda est; cumque Plutarchum Vespasiano regnante Romae commoratum esse constet[1]), ipse fortasse tabulam vidit. Brevi ante Commodi mortem[2]) templum fulmine ictum incendio periit; de priore incendio nihil traditur, quamquam haud exiguum fuisse necessario sequitur e verbis *εἰς τ'αὐτὸ ταῖς ἄλλαις συνωσθεῖσαν ἐν Ῥώμῃ τὸ πῦρ ἀπενείματο.* Quod incendium alibi prorsus ignotum certe mirum est; atque si suspicari licet, verba illa a scriptore vel lectore aevi Commodiani margini ascripta in textum irrepsisse putaverim.

Theonis Samii memoratur tabula, qua depicta erat *Ὀρέστου μητροκτονία* de aud. poet. p. 17. F. cf. Bluemner arch. Stud. z. Lucian. p. 60.

Asclepiodorus inter pictores Atticos enumeratur de glor. Athen. p. 346. A.

[Ismenias Chalcidius aliunde ignotus familiam Lycurgi oratoris pinxit secundum generis successionem (Pseudo-Pl. X. orat. vit. p. 843. E.) figuris humanae magnitudinis, *ἐν πίνακι τελείῳ*, cf. Jahn, über die Gemälde des Polygnot in der Lesche zu Delphi p. 63. sqq.]

Pictores qui cum Arato erant nominantur Timanthes et Nealces, quos propterea Sicyonios natu fuisse haud improbabiliter suspiceris. Timanthes sane secernendus a seniore eiusdem nominis artifice Zeuxidis aequali, qui Iphigeniae immolationem fecit, pugnam ab Arato contra Aetolos ad Pellenen commissam (a. 240 a. Chr.) depinxit

---

1) de soll. an. p. 974. A. cf. Volkmann I. 36. sqq.
2) Dio Cass. LXXII. 24. Herodian. I. 14.

(ἐμφατικῶς τῇ διαθέσει τὴν μάχην ἔχουσαν Arat. 32.) Eundem fuisse Timanthem unum illum comitem, qui cum Arato in Aegyptum profectus est (Arat. 12), probabile videtur. cf. Brunn. K. G. II. 290.

De Nealce iam supra dictum. Fabulam illam, quam de spuma equi spongia iniecta feliciter expressa de Nealce narrat Plinius 35. 104., sine nomine invenitur apud Plut. de fort. p. 99. B., ubi nimis audacter pro ἕνα nomen Νεάλκη in textum posuit Hercher Madvigium secutus.

Mnasitheus ille, qui Aratum in patria liberanda adiuvit (Arat. 7.) idemne fuerit ac pictor Mnasitheus apud Plin. 35. 146., ut putat Brunn. K. G. II. 292., certe perdubium videtur.

Finem facit huius pictorum seriei Timomachus diadochorum temporibus florens, ut errorem Plinii corrigens comprobavit Welcker kl. Schr. III. p. 457. Brunn K. G. II. 280. sqq. Commemorat Plutarchus Μηδείας τεκνοκτονίαν ab illo pictam de aud. poet. p. 17. F.[1]), ubi hanc rem a pictore expressam non propter artis rationem neglectam, sed propter facti turpitudinem vituperat. (Brunn K. G. II. 279.)

Huc usque progressi paulum iam subsistamus et videamus, quid de Plutarchi artificiorum cognitione et peritia censendum sit. Primum quidem apparet, cognitionem quam habuit artis operum quod ad locum attinet non admodum amplis finibus coerceri, nam praeter ea quae cum rebus gestis enarrandis cohaerent simulque cum ceteris e fontibus historicis hausta sunt, ubi exempli vel comparationis causa ad artem recedit, Olympiaca, Atheniensia, saepissime vero Boeotica affert opera, nec sine causa dici potest, ex omnibus hominibus Plutarchum praecipue Graecum, e Graecis praecipue Boeotum, e Boeotis praecipue Chaeronensem fuisse. Arctiori huic patriae etiam Delphos adnumerari velim, ubi sacerdotio fungentem multum temporis eum degisse notum est. Quare rerum Delphicarum fertilissimus est auctor, permultaque omnium quae affert operum Delphica sunt

---

1) γράφουσι δὲ καὶ πράξεις ἀτόπους ἔνιοι, καθάπερ Τιμόμαχος τὴν Μηδείας τεκνοκτονίαν κτλ. Liberos quoque in tabula pictos fuisse, id quod aliquando in dubium vocatum est, iam ipsa voce τεκνοκτονία efficitur.

donaria, quorum cognitionem partim ipso visu, partim e periegetarum libellis sibi comparavit. E quibus imprimis Polemoni tribuit auctoritatem, homini varie docto nec oscitanter in rebus Graecis versato (Symp. V. 2. p. 675. B.), quem haud raro sequitur. (cf. Preller. Pol. fr. p. 29. 46.) Ex Anaxandridae Delphici qui Polemonis fuit aequalis opere locos affert Lys. 18. Quaest. gr. 9. p. 292. F. (cf. Weniger, de Anaxandrida Polemone Hegesandro rerum Delph. scriptoribus. Diss. Berl. 1865. p. 1. sqq.) Atque hos quidem doctos viros vereque antiquitatis studiosos sequitur, ineptam vero stultamque turbam periegetarum qui hospites narrationibus carminibusque memoriter prolatis fastidiebant, iure irridebat in libello de Pyth. orac.[1]) (cf. Preller. Pol. fr. p. 167. sqq. *περιηγητικῶν ὅδωδε βιβλίων* Symp. VIII. 4. p. 724. D.)

In remotiorum operum cognitione non valde eum versatum puto: ubi operis vel artificis habuit rationem, saepissime necessitudine, qua cum claris personis historicis coniunctus erat, commovetur: Phidias in Pericle, Polygnotus in Cimone potissimum, Apelles et Lysippus solum ubi ad Alexandrum pertinent commemorantur. Nullius alius Lysippi statuae, nullius Apellis tabulae, ne Veneris quidem *Ἀναδυομένης*, quae dicebatur, nullius omnino operis Myronis neque Praxitelis praeter Phrynen Delphicam et Amorem Thespiensem invenitur mentio, Scopae vero ne nomen quidem commemoratur.

Statuarios vides praecipue nominatos, qui omnino minus studium et iudicium hominum excitaverunt. Nam cum in illa arte nimis cum manuum opera coniuncta propter laboris et materiae difficultatem vix quisquam voluptatis causa otium consumpserit, exiguam tantum et materiae tractandae ipsorumque artificum cognitionem et rariora reperimus iudicia apud scriptores, excepto Luciano, qui utriusque artis aeque fuit peritus. Narratiunculae autem salseque dicta de solis fere pictoribus traduntur.

Plutarchum ut de statuario opere aliquid iudicaret, solae Silanionis argutiae commoverunt; quae de Lysippi

---

1) E loco p. 401. E. *εἶπεν ἅτερος τῶν περιηγητῶν* non, ut vult Heinze in Commentario (Progr. Marienburg 1878. p. 9.) effici potest, duos modo publice comprobatos exegetas tunc Delphis fuisse, sed nihil nisi duos forte sermocinantes tunc circumduxisse.

Alexandro dicit, ex aliis hausit fontibus. Nec de materia machinisque artis quidquam legimus, nam quae praeter comparationem de adul. et amico p. 74. E. *ὥσπερ οἱ λιθοξόοι τὰ πληγέντα καὶ περικοπέντα τῶν ἀγαλμάτων ἐπιλεαίνοντες καὶ γανοῦντας* invenis, ad res naturales magis quam ad artem statuariam pertinent, sicut quae dicit de lapidibus in terra abditis, quo molliores fiant ad elaborandum (Symp. VIII. 2. p. 701. C.), de auro palearum flamma domando (ibid. III. 10. p. 658. D.), de ebore molliendo (an vitios. ad infel. suff. p. 499. E.), de aere Corinthio. (de Pyth. orac. p. 395. B.)

Pictores pluris aestimavit, quamquam casu fortasse factum est, quod inter manu laborantes ac *βαναύσους* nullum nominaverit pictorem (praec. reip. ger. p. 802. A.) Certe in arte pingendi iudicem se ostendit haud imperitum. Scite loquitur de Apollodori lucis et umbrae inventione, nec male iudicat de Dionysii et Nicomachi tabulis, de Parrhasii et Euphranoris Theseo, de eiusdem proelio, de schola Sicyonia, de Apellis Alexandro. Nec non versatus est in materia artis et exercitatione. Novit quatuor Polygnoti colores, loquitur de lucis et umbrae tractatione (de adul. et amico p. 57. C. fragm. XIII. ap. Schol. Arat. 828. Bekk.), de colorum mistione et temperatione *φθορά*, de adul. et amico p. 54. E. de Ei delph. p. 393. C. Symp. p. 725 C.), de bacillo candente artis encausticae beneque eam secernit ab uda pingendi ratione in praeclara comparatione Amator. p. 759. C., quam totam apponere mihi liceat: *ἡ γὰρ ὄψις ἔοικε τὰς μὲν ἄλλας φαντασίας ἐφ᾽ ὑγροῖς ζωγραφεῖν, ταχὺ μαραινομένας καὶ ἀπολειπούσας τὴν διάνοιαν· αἱ δὲ τῶν ἐρωμένων εἰκόνες ὑπ᾽ αὐτῆς οἷον ἐν ἐγκαύμασι γραφόμεναι διὰ πυρὸς εἴδωλα ταῖς μνήμαις ἐναπολείπουσι κινούμενα καὶ ζῶντα καὶ φθεγγόμενα καὶ παραμένοντα τὸν ἄλλον χρόνον.*

De pictoribus suae aetatis, qua picturae ars erat moriens[1]) ut dicit Plin. 35. 29., nusquam loquitur; semel tantum dictum se audisse narrat a pictore quodam haud inelegans de gen. Socr. p. 575. A., cf. p. 9. Omnino pauca tantum pictorum nomina invenimus Lysippi aetate

---

1) Severius etiam Petronius c. 88. pulcherrimas artes perisse dicit, inter quas pictura ne minimum quidem sui vestigium reliquisset.

minorum, statuariorum vero nulla: qua re Plutarchus quoque confirmat, post Lysippi discipulos vix quemquam de arte atque artificibus aliquid conscripsisse.

Cap. IV.

De ceteris artis operibus a Plutarcho commemoratis fusius disputare haud est in animo. Nam de rebus Delphicis quidem Ulrichsii librum (Reisen und Forschungen in Griechenland I.) commendare sufficit; de veteribus Romanis operibus egerunt Ross Archaeol. Aufs. II. p. 366 sqq. et Detlefsen (de arte Romanorum antiquissima Progr. Glückstadt 1867. 68.), ubi tamen e Plutarcho desidero Ti. Sempronii Gracchorum patris statuam in foro collocatam. (C. Gracch. 14). Praeterea locus quaest. Rom. p. 287. B. addendus est iis, quae I. p. 6. de Iove Capitolino minio tincto dicit. Sed cetera quoque opera omnia enumerare vix in rem fore puto, satis est rationibus quae Plutarchum ad ea commemoranda commoverint constitutis paucis ea tractare, quibus novi aliquid attulisse mihi videor.

Rerum scriptorem imagines hominum in historia memorabilium, quibus mores et facta melius perspiciuntur, imprimis allicere oportere per se apparet. Ita Plutarchus quoque viginti sex virorum, quorum vitas conscripsit, statuas commemorat, et ubi facultas visendi ei data erat, de moribus in iis expressis pauca dicit, quae iam breviter recenseamus.

De Theseo vid. p. 35.

Romae vidit Romuli statuas tropaea ferentes pedestres omnes. Rom. 16.

Themistoclis statuam vidit in Artemidis Ἀριστοβούλης templo ab ipso in Melite pago exstructo: *καὶ φαίνεταί τις οὐ τὴν ψυχὴν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν ὄψιν ἡρωικὸς γενόμενος*. (Them. 22.) Statuam in foro Magnesiae memorat Cornel. Nep. Them. 10. 3., tabulas pictas Pausan. I. 1. 2., I. 18. 3. De imaginibus nobis servatis vid. Mueller. Hdb. § 420. b.

Philopoemenem specie fuisse haud deformi, ut quidam putent[1]), affirmat Philop. 2, ipsum enim vidisse aeream

1) Inter quos Pausan. VIII. 49. 2. statuam eius in Tegeatarum foro afferens.

eius statuam ab Achaeis Delphis positam, quae eum eo habitu ostendat, quo Machanidam Spartanorum tyrannum hasta perculit. (Philop. 10.) Permultas eius statuas exstitisse narrat c. 21.

Flaminini statuam vidit Romae (Flam. 1.), Marii Ravennae, *πάνυ τῇ λεγομένῃ περὶ τὸ ἦθος στρυφνότητι καὶ πικρίᾳ πρέπουσαν* (Mar. 2), itemque Lysandri lapideam statuam iconicam in Acanthiorum thesauro Delphico, *εὖ μάλα κομῶντος ἔθει τῷ παλαιῷ καὶ πώγωνα καθειμένου γενναῖον*. (Lys. 1.) Ante pugnam Leuctricam prodigium fit, ut ex illa statua tantum graminis herbaeque progerminaverit, ut faciem eius tegeret. (de Pyth. orac. p. 397 F.) De aerea eiusdem statua ab ipso dedicata legimus Lys. 18.

Sullae statuae memorantur Sull. 2. simul cum faciei descriptione, Pompeii Brut. 14. Caes. 57. 66., de cuius cum Alexandro similitudine loquitur Pomp. 2., cf. Müller, Hdb. § 421. 1.

De Alexandro vid. p. 27. 36. de Demosthene p. 42.

Lucullus Chaeroneae in foro stetit. (Luc. 2.)

Demetrius depingitur Demetr. 2. *ἰδέᾳ καὶ κάλλει προσώπου θαυμαστὸς καὶ περιττός, ὥστε τῶν πλαττόντων καὶ γραφόντων μηθένα τῆς ὁμοιότητος ἐφικέσθαι.* Theorus eum pinxerat Plin. 35. 44. Servatas eius imagines affert Jahn, Archaeol. Aufs. p. 38.

De Antonii forma facieque dicit Ant. 4, statuae commemorantur c. 60. 86.

De Arati specie statuaque Arat. 3. 45.

Barbaro marmoreo capiti, quod Florentiae asservatur, Plutarchi Pyrrhi descriptionem (Pyrrh. 3. al.) convenire putavit Duetschke, Archaeol. Ztg, 35. (1877.) p. 68, quem recte refellit J. Friedlaender ibid. p. 132.

Corneliae Gracchorum matris statuae, quam memorat C. Gracch. 4.[1]), nuper basis reperta est cum inscriptione

CORNELIA · AFRICANI · F
GRACCHORVM

litteris temporis Augustei, cf. Ephem. epigr. IV. 284. Lanciani bullet. del inst. 1878. p. 209. sqq. Jordan Progr. Acad. Regim. 1882. I. p. 11.

De Periclis imaginibus conferas quae attulimus p. 19.,

---

1) *Καὶ ὁ δῆμος ἠγάσθη . . . . τὴν Κορνηλίαν . . . ., ἧς γε καί χαλκῆν εἰκόνα στήσας ὕστερον ἐπέγραψε Κορνηλίαν μητέρα Γράκχων.*

de Alcibiadis Brunn, K. G. I. 272. sqq. Mon. Inst. VIII. T. XXV. Helbig, Ann. Inst. 1866. p. 228—240, cui assentitur Conze, Arch. Ztg. 1868. p. 1., Jahn, Arch. Ztg. 1867, p. 70.

Restat ut de aliis nonnullis Plutarchi locis quae habui dicenda proferam.

De def. or. p. 410. A. *Ἐκεῖνον* (Epimenidem) *μὲν οὖν εἰκότως ὁ θεὸς ἠμύνατο, μύθου παλαιοῦ καθάπερ ζωγραφήματος ἁφῇ ἀποπειρώμενον.* Symp. VIII. 3. p. 735 C. *ὁρῶ ὑμᾶς οἵους τ᾽ ὄντας ἤδη σκιαμαχεῖν πρὸς τὰ εἴδωλα καὶ δόξῃ παλαιᾷ καθάπερ γραφῇ προσφέροντας ἁφὴν οἴεσθαί τι ποιεῖν.* Quid est illud *γραφῇ προςφέρειν ἁφήν*? Puto digitorum contrectatione tentasse veteres tabulam encausticam, coloresne bene sint inusti.

Sept. sap. conviv.[1]) p. 164. A. (loquitur de palma aenea a Corinthiis Delphis dedicata.) *πολλάκις γὰρ ἐβουλόμην ἐρέσθαί σε τῶν βατράχων τὴν αἰτίαν ἐκείνων, τί βούλονται περὶ τὸν πυθμένα τοῦ φοίνικος ἐντετορευμένοι τοσοῦτοι, καὶ τίνα πρὸς τὸν θεὸν ἢ τὸν ἀναθέντα λόγον ἔχουσιν.* Et de eadem re dubitatio ei est de Pyth. orac. p. 399. F. *οἱ περὶ τὴν ῥίζαν ἐντορνευόμενοι* (l. *ἐντετορευμένοι*) *βάτραχοι καὶ ὕδροι θαῦμα τῷ Διογενιανῷ παρέσχον, ἀμέλει δὲ καὶ ἡμῖν. Οὔτε γὰρ φοῖνιξ, ὡς ἕτερα δένδρα, λιμναῖόν ἐστι καὶ φίλυδρόν ἐστι φυτόν, οὔτε Κορινθίοις τι βάτραχοι προσήκουσιν ὥστε σύμβολον ἢ παράσημον εἶναι τῆς πόλεως.* Facius p. 119. artifices hoc modo se significari voluisse putat, adhibito Plinii loco de Saura et Batracho artificibus 36. 42. Immo haec quoque narratio ex opere falso explicato orta est. Bestiae illae erant *ἀποτρόπαια* vel *προβασκάνια*, imprimis contra illud quod hodie vocant mal occhio, nec tantum solae quasi amuleta gestabantur, sed etiam lucernis aliisque rebus, aedificiorum quoque partibus additae inveniuntur, cf. quae affert Stephani Compte-rendu p. 1866. p. 197. sqq. Atque eo consilio etiam in donario illo Corinthiorum caelatas eas fuisse certum puto.

Nonnunquam picturarum breves invenimus descriptiones:

---

1) Plutarcheum esse hoc scriptum puto cum Wyttenbachio et Hermanno (quaest. crit. de Plut. moral. Diss. Halae 1875.) contra Volkmannum. I. 188. sqq.

De comp. Demetr. et Anton. 3. ὥσπερ ἐν ταῖς γραφαῖς ὁρῶμεν τοῦ Ἡρακλέους τὴν Ὀμφάλην ὑφαιροῦσαν τὸ ῥόπαλον καὶ τὴν λεοντῆν ἀποδύουσαν. an seni sit ger. resp. p. 785. E. ἢ καθάπερ ἔνιοι τὸν Ἡρακλέα παίζοντες οὐκ εὖ γράφουσιν, ἐν Ὀμφάλης κροκωτοφόρον ἐνδιδόντα Λυδαῖς θεραπαινίσι ῥιπίζειν καὶ παραπλέκειν ἑαυτόν. Eiusmodi Herculis picturas haud raro inventas esse etiam Luciani locus ostendit de hist. conscr. 10. cf. Bluemner Arch. Studien z. Luc. p. 73. Praeterea multis operibus haec Herculis servitus nobis servata est, quae congessit et commentatus est O. Jahn in Ber. der sächs. Ges. d. Wiss. 1855. p. 215. sqq., imprimis inter picturas Pompeianas res est dilectissima (Helbig p. 228. sqq.), e quibus ad Plutarchi descriptionem proxime accedit praeclara tabula apud Zahnium III. 84.

Brut. 23. commemoratur tabula Veliae collocata, qua conspecta Porcia Bruti uxor ita commovebatur, ut saepius in die lacrimas effunderet, quod ipse Porciae filius Bibulus (de quo c. 13.) narraverat: Ἦν γὰρ ἐκ τῶν Ἑλληνικῶν διάθεσις, προπεμπόμενος Ἕκτωρ ὑπὸ Ἀνδρομάχης κομιζομένης παρ᾽ αὐτοῦ τὸ παιδίον, ἐκείνῳ δὲ προσβλεπούσης. Huic descriptioni ex operibus servatis maxime respondent duarum gemmarum ectypa primum edita ab Overbeckio, Gal. heroischer Bildw. T. XVI. No. 14. 15.

De tranq. an. p 473. C. ἀλλ᾽ ὥσπερ ἐν ᾅδου ζωγραφούμενος σχοινοστρόφος ὄνῳ τινὶ παρίησιν ἐπιβουλευομένῳ καταναλίσκειν τὸ πλεκόμενον . . . . . Hic funem torquens est is, quem Graeci Ὄκνον vocabant, depictus a Polygnoto in laeva parte Lesches Delphicae (Paus. X. 29. cf. Goethe Werke XXXI. p. 141.), ad quem praecipue non ad alios Plutarchum respexisse putem contra Iahnium Archaeol. Beitr. p. 125. Invenitur arae insculptus (Mus. Pio-Clem. VI. 31. Beschreibg. Roms II. 2. 264.) et in ectypo. (Beschreibg. Roms. III. 1. 610.). Aliud ectypum affert Jahn Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1856. p. 267. sqq. Parodice lusit Danaidas et Ocnum depingens artifex vasis Palermitani in Archaeol. Ztg. 28. (1870.) p. 42.

Nec tamen semper in Tartaro torquens invenitur, sed etiam vivus, quod Pausaniae narrationi de Ocni industrii prodiga uxore melius respondet. Ita eum depinxisse

videtur Nicophanes, spartum torquentem quod asellus adrodit, nulla Tartari mentione facta (Plin. 35. 137.), itaque conspicitur in pictura parietis columbarii quod inventum est in villa Pamfili. (Jahn Abhdlgn. d. K. bayr. Acad. VIII. 1856. p. 245. sqq.)

Sull. 6. Timotheum narrat propter nimiam felicitatem ab inimicis dormientem depictum esse, Fortuna ipsa urbes hostium retibus circumdante. Haec capiti eius imminebat aëre librata urbesque in rete trahens secundum Aelianum V. H. XIII. 43. Atque Athenis quidem ita eum irrisum esse, cum per se patet, tum confirmatur ap. Schol. Arist. Plut. 180, ex quo hausit Suidas s. v. Fortasse comici cuiusdam lusum coloribus expressit pictor. Eiusdem picturae mentio est in collectione apophthegmatum regum et imperatorum Pseudoplutarchea p. 187. B., ubi tamen urbes ultro in plagas incidunt Fortuna non commemorata, itemque in libello de malign. Herod. p. 856. C., quem an Plutarchus conscripserit valde est dubium. (Volkmann II. 341.)

Theses.

1. Consolatio ad Apollonium Plutarcho non est abiudicanda.

2. Schol. ad Apoll. Rhod. III. 242. legendum est: *τὸν μὲν Καυκασίη· ὁ τὰ Ναυπακτικὰ πεποιηκὼς Εὐρυλύτην αὐτὴν λέγει, Σοφοκλῆς δὲ Νέαιραν, μίαν τῶν Νηρηΐδων. Διονύσιος δὲ ὁ Μιλήσιος Ἑκάτην μητέρα Μηδείας καὶ Κίρκης, ὡς προείρηται, Ἡσίοδος δὲ Ἰδυῖαν.*

3. Apsyrtum infantem a Medea dissectum esse prisca erat fabulae forma iamque in carmine Naupactico narrabatur.

Vita.

Natus ego sum Ioannes Maximilianus Lehnerdt Regimonti Prussorum a. d. XI. Cal. Nov. anni MDCCCLXI patre Alberto matre Elisa e gente Voigt fidei evangelicae addictis, quos adhuc vivos colo. Gymnasium frequentavi Thorunense, cui ipse pater rector erat praefectus, ubi auctumno anni MDCCCLXXVIII maturitatis testimonium adeptus sum. Illo ipso tempore cum pater Collegii Fridericiani Regimontani rector esset renuntiatus, ego quoque secutus in academia Albertina studiis philologicis et archaeologicis me dedi. Audivi per quinquennium temporis academici vir. ill.

Baumgart, Bezzenberger, Friedlaender, Hirschfeld, Iordan, Ludwich, Ruehl, Schade, Walter.

Seminarii philologici exercitationibus per tria semestria sodalis interfui atque per totidem fere annos exercitationibus archaeologicis ab Hirschfeldio institutis. Omnibus meis praeceptoribus, imprimis Hirschfeldio optime de me merito gratum animum semper servabo.